καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης,
λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλόν,
ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴσαν προλιπόντ' ἀνθρώπους,
Αἰδὼς καὶ Νέμεσις.

∼ ἀντὶ τοῦ ἰδοῦσαι καὶ παθοῦσαι.

1677. *Οὐκ ἔστι:* οὐδὲ εἰκόνα ἔχω λαβεῖν τοῦ πάθους.

1678. *Ὡς μάλιστ' ἂν εἰ πόθῳ λάβοις:* ὡς μάλιστα ἄν τις

μήτε πόντος ἀντέκυρσεν,
ἄσκοποι δὲ πλάκες ἔμαρψαν
ἐν ἀφανεῖ τινι μόρῳ φερόμενον;
τάλαινα· νῷν δ' ὀλεθρία
νὺξ ἐπ' ὄμμασιν βέβακε.
πῶς γὰρ ἤ τιν' ἀπίαν
γᾶν ἢ πόντιον κλύδων' ἀλώμεναι βίου
δύσοιστον ἕξομεν τροφάν;

ΙΣΜΗΝΗ

οὐ κάτοιδα. κατά με φόνιος Ἀίδας
ἕλοι πατρὶ ξυνθανεῖν γεραιῷ
τάλαιναν, ὡς ἔμοιγ' ὁ μέλλων βίος οὐ βιωτός.

ΧΟΡΟΣ

ὦ διδύμα τέκνων ἀρίστα,
τὸ φέρον ἐκ θεοῦ καλῶς
μηδὲν ἄγαν φλέγεσθον· οὔ

ποθήσαι μαθεῖν ὅπως βέβηκεν, οἷον παραδόξως. καὶ ἐπιφέρει τὴν αἰτίαν τοῦ παραδόξου δοκοῦντος εἶναι. — ὡς ἂν ἐπιποθήσαις τὸν τρόπον τῆς τελευτῆς μαθεῖν. — *τί γὰρ ὅτῳ μήτ' Ἄρης*: πρὸς τὸ ἄνω· τί γάρ ἐστιν εἰκονίσαι ἐκείνῳ πάνυ, ᾧ τινι μήτε πόλεμος μήτε νόσος ἐπῆλθεν, ἀλλ' ἀφανῶς διὰ χάσματος ἀπολομένῳ;

1683. τὸ τάλαινα διὰ μέσου ἀναπεφώνηται. — *Νῷιν*: ἡμῖν, ἐμοὶ καὶ Ἰσμήνῃ.

1685. *Πῶς γὰρ ἤ τίν' ἀπίαν γᾶν*: ποῦ γῆς πλανηθεῖσαι τροφῆς ἂν τύχοιμεν; ἀπίαν δὲ γᾶν, τὴν μακρὰν καὶ ἄπωθεν οὖσαν.

1687. *Δύσοιστον*: τὴν δυσπόριστον· ἵν' ᾖ τοῦ πάθους ἐπίτασις, ὅτι τροφῆς εὐπορήσαιμεν, ἀηδῶς προσοισόμεθα, τοῦ πατρὸς ἐστερημέναι.

1693. *Ὦ δίδυμα τέκνων*: ταῦτα ὁ χορὸς παρηγορῶν ἐμμένειν τοῖς ἐγνωσμένοις παρὰ θεῶν· φέρε οὖν τὸ ἐκ θεῶν εἱμαρμένον καλῶς.

1695. *Μηδ' ἄγαν οὕτω φλέγεσθον*: ἀντὶ τοῦ, μὴ ἄκρως φλέγεσθε τὸ ἐκ θεοῦ πεμφθὲν δυσανασχέτως φέρουσαι.

τοι κατάμεμπτ᾽ ἐβήτην.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ἀντ. α΄.

πόθος καὶ κακῶν ἄρ᾽ ἦν τις.
καὶ γὰρ ὃ μηδαμὰ δὴ τὸ φίλον, φίλον,
ὁπότε γε καὶ τὸν ἐν χεροῖν κατεῖχον.
ὦ πάτερ, ὦ φίλος,
ὦ τὸν ἀεὶ κατὰ γῆς σκότον εἱμένος·
οὐδέ περ ὢδ᾽ ἀφίλητος ἐμοί ποτε
καὶ τᾷδε μὴ κυρήσῃς.

ΧΟΡΟΣ

ἔπραξεν;

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ἔπραξεν οἷον ἤθελεν.

ΧΟΡΟΣ

τὸ ποῖον;

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ἇς ἔχρῃζε γᾶς ἐπὶ ξένας

1696. *Οὔ τοι κατάμεμπτος ἔβη*: οὐκ ἐν τοιούτοις ἐστὲ ὥστε καταμέμφεσθαι· ἤτοι ὡς ἂν ἐπικουφίζοντες αὐταῖς τὴν συμφορὰν τοῦ βασιλέως, ἢ οἷον, οὐκ ἐν χείρονι νῦν ὑμῖν ἔσται τὰ πράγματα.

1797. *Πόθος καὶ κακῶν*: οἱ μὲν περὶ τὸν χορὸν παραμυθεῖσθαι πειρῶνται αὐτάς, αἳ δὲ οὐδὲν ἧττον ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν χωροῦσι καὶ ὀλοφύρονται καὶ φασίν· ἦν ἄρα τις καὶ κακῶν πόθος, ὡς ἡμεῖς, ἐν κακοῖς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ μὴ ὁρῶντος, ἐστέργομεν αὐτόν, καὶ νῦν μὴ παρόντα ποθοῦμεν· ὡς ὅτε ἐν χεροῖν κατεῖχον τὸν Οἰδίποδα, περιέστελλον καὶ ἐθεράπευον.

1698. *Καὶ γὰρ ὁ μηδαμῇ*: καὶ γὰρ δυστυχοῦντα τὸν πατέρα ἐποθοῦμεν θεραπεύειν, καὶ νῦν μὴ παρόντα ποθοῦμεν.

1702. *Ἀφίλητος*: λείπει τὸ ἦς.

1703. *Καὶ τάδε μὴ κυρήσῃς*: καὶ τανῦν μὴ γένοιό μοι ἄφιλος.

1705. *Ἆς ἔχρῃζε*: ἐφ᾽ ἧς ἠ-

ἔθανε· κοίταν δ' ἔχει
νέρθεν εὐσκίαστον αἰέν,
οὐδὲ πένθος ἔλιπ' ἄκλαυτον.
ἀνὰ γὰρ ὄμμα σε τόδ', ὦ πάτερ, ἐμὸν
στένει δακρῦον, οὐδ' ἔχω
πῶς με χρὴ τὸ σὸν τάλαιναν
ἀφανίσαι τόσον ἄχος.
ἰὼ γᾶς ἐπὶ ξένας θανεῖν ἔχρῃζες· ἀλλ'
ἔρημος ὧδέ μοι θάνες.

ΙΣΜΗΝΗ

ὦ τάλαινα, τίς ἄρα με πότμος ἐπιμένει
σέ τ', ὦ φίλα, πατρὸς ὧδ' ἐρήμας;
. . . .

ΧΟΡΟΣ

ἀλλ' ἐπεὶ ὀλβίως γ' ἔλυσεν
τὸ τέλος, ὦ φίλαι, βίου,
λήγετε τοῦδ' ἄχους· κακῶν
γὰρ δυσάλωτος οὐδείς.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

στρ. β'.

πάλιν, φίλα, συθῶμεν.

1724—1736=1737—1750.

θελε ξένης γῆς ἀπέθανε.

1711. *Τὸ σόν*: τουτέστι, τὸ παρὰ σὲ ἄχος τηλικοῦτόν ἐστιν.

1713. τὸ ἑξῆς, μὴ ἔχρῃζες, ἀντὶ τοῦ, μὴ ὤφελες.

1714. *Ἀλλ' ἔρημος*: ἔρημος δέ. ~ μεμονωμένος τῶν συγγενῶν.

1720. *Ἀλλ' ἐπεὶ ὀλβίως γ' ἔλυσεν*: ἐπεὶ ὁ Οἰδίπους εὐδαιμόνως ἀπέθανεν, μὴ λίαν θρηνεῖτε.

1723. *Δυσάλωτος*: δύσληπτος, ἀλλ' εὐάλωτος.

ΙΣΜΗΝΗ

ὡς τί ῥέξομεν;

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ἵμερος ἔχει με

ΙΣΜΗΝΗ

τίς;

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

τὰν χθόνιον ἑστίαν ἰδεῖν

ΙΣΜΗΝΗ

τίνος;

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

πατρός, τάλαιν' ἐγώ.

ΙΣΜΗΝΗ

θέμις δὲ πῶς τάδ' ἐστί; μῶν
οὐχ ὁρᾷς;

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

τί τόδ' ἐπέπληξας;

ΙΣΜΗΝΗ

καὶ τόδ', ὡς

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

τί τόδε μάλ' αὖθις;

1725. *Ὡς τί ῥέξωμεν*: κατὰ κῶλον ἀλλήλαις διαλέγονται πάνυ παθητικῶς. καὶ μή τινι ἀπίθανον δόξῃ καὶ ἀνοικονόμητον (καὶ) τὸ ἐπιθυμεῖν τὴν Ἀντιγόνην ὀπίσω ἀπιέναι ἐπὶ τὸν τοῦ πατρὸς τάφον, μὴ ἐπισταμένην τὰ κατ' αὐτὸν ὅπως ἀπέθανεν· ἀλλὰ τὸ ἦθός ἐστι τὸ παθητικόν, καὶ μάλιστα πράττουσιν αἱ γυναῖκες ἐν τοῖς τοιούτοις συμπτώμασιν, ἀεὶ ἐπιφοιτᾶν θέλουσαι τοῖς τῶν θανόντων τάφοις.

1729. τὸ ἑξῆς, οὐχ ὁρᾷς καὶ τόδε, ὡς ἄταφος ἔπιτνε δίχα τε παντός; τὰ δὲ ἄλλα διὰ μέσου

ΙΣΜΗΝΗ

ἄταφος ἔπιτνε δίχα τε παντός.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ἄγε με, καὶ τότ' ἐπενάριξον.

ΙΣΜΗΝΗ

. .

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

. . . . .

ΙΣΜΗΝΗ

αἰαῖ, δυστάλαινα, ποῦ δῆτ'
αὖθις ὧδ' ἔρημος ἄπορος
αἰῶνα τλάμον' ἕξω;

ΧΟΡΟΣ
ἀντ. β'.

φίλαι, τρέσητε μηδέν.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ἀλλὰ ποῖ φύγω;

ΧΟΡΟΣ

καὶ πάρος ἀπέφυγε

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

τί;

ΧΟΡΟΣ

τὰ σφῷν τὸ μὴ πίτνειν κακῶς.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

φρονῶ.

κατ' ἀκόλουθον τῆς Ἀντιγόνης.

1740. Σφῶιν: κακῶς ἡ ἀντωνυμία, διὸ τὸ χ.

ΧΟΡΟΣ

τί δῆθ᾽ ὅπερ νοεῖς;

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ὅπως μολούμεθ᾽ ἐς δόμους
οὐκ ἔχω.

ΧΟΡΟΣ

μηδέ γε μάτευε.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

μόγος ἔχει.

ΧΟΡΟΣ

καὶ τὸ πάρος εἶχε.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

τοτὲ μὲν ἄπορα, τοτὲ δ᾽ ὕπερθεν.

ΧΟΡΟΣ

μέγ᾽ ἄρα πέλαγος ἐλαχέτην τι.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ναὶ ναί.

ΧΟΡΟΣ

ξύμφημι καὐτός.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

φεῦ φεῦ, ποῖ μόλωμεν, ὦ Ζεῦ;
ἐλπίδων γὰρ ἐς τίν᾽ ἔτι με
δαίμων τανῦν γ᾽ ἐλαύνει;

ΘΗΣΕΥΣ

παύετε θρήνων, παῖδες· ἐν οἷς γὰρ

1751. *τῇ μὲν ἑρμηνείᾳ ἐπιστῆσαι ἄξιον, τὸ δὲ τῆς διανοίας σαφές· φησὶ γὰρ ὁ χορός· μὴ θρηνεῖτε, ὦ παῖδες· νέμεσις γάρ ἐστι τοῦτον θρηνεῖν, ᾧ τὰ τῆς τελευτῆς κατὰ χάριν ἀπέβη. οὐ χρὴ*

χάρις ἡ χθονία ξενία κεῖται,
πενθεῖν οὐ χρή· νέμεσις γάρ.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ὦ τέκνον Αἰγέως, προσπίτνομέν σοι.

ΘΗΣΕΥΣ

τίνος, ὦ παῖδες, χρείας ἀνύσαι;

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

τύμβον θέλομεν προσιδεῖν αὐταὶ
πατρὸς ἡμετέρου.

ΘΗΣΕΥΣ

ἀλλ' οὐ θεμιτὸν κεῖσε μολεῖν σφῷ.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

πῶς εἶπας, ἄναξ, κοίραν' Ἀθηνῶν;

ΘΗΣΕΥΣ

ὦ παῖδες, ἀπεῖπεν ἐμοὶ κεῖνος
μήτε πελάζειν ἐς τούσδε τόπους
μήτ' ἐπιφωνεῖν μηδένα θνητῶν
θήκην ἱεράν, ἣν κεῖνος ἔχει.
καὶ ταῦτά μ' ἔφη πράσσοντα κακῶν
χώραν ἕξειν αἰὲν ἄλυπον.
ταῦτ' οὖν ἔκλυεν δαίμων ἡμῶν
χὠ πάντ' ἀίων Διὸς Ὅρκος.

οὖν τούτους πενθεῖν, οἷς κεχαρισμένον ἐστὶ τὸ ἀποθανεῖν.

1760. *παραφύλαξον τὴν τέχνην, πῶς καὶ αἱ νέαι (μὲν) ἄπειροι κατὰ τὴν ὑπόθεσιν. λοιπὸν ἔνια παρὰ τοῦ Θησέως μανθάνομεν, τίνα ἦν ἔνια τῶν εἰρημένων αὐτῷ ὑπὸ τοῦ Οἰδίποδος. τὰ τελευταῖα καὶ δυστραπελώτερα καὶ οὐ ῥᾳδίως ἐστὶν αὐτῶν κατακρατῆσαι ἐν τῇ ἐξηγήσει· πεποίηται γὰρ ταῦτα εἰς τὸ ἀσαφέστερον.*

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ἀλλ' εἰ τάδ' ἔχει κατὰ νοῦν κείνῳ,
ταῦτ' ἂν ἀπαρκοῖ. Θήβας δ' ἡμᾶς
τὰς ὠγυγίους πέμψον, ἐάν πως
διακωλύσωμεν ἰόντα φόνον
τοῖς ἡμετέροισιν ὁμαίμοις.

ΘΗΣΕΥΣ

δράσω καὶ τάδε καὶ πάνθ' ὁπόσ' ἂν
μέλλω πράσσειν πρόσφορά θ' ὑμῖν
καὶ τῷ κατὰ γῆς ὃς νέον ἔρρει.
πρὸς χάριν οὐ δεῖ μ' ἀποκάμνειν.

ΧΟΡΟΣ

ἀλλ' ἀποπαύετε μηδ' ἐπὶ πλείω
θρῆνον ἐγείρετε·
πάντως γὰρ ἔχει τάδε κῦρος.

1768. *εἰ ἀρέσκει τούτῳ ταῦτα τὸ μὴ λεχθῆναι ἡμῖν, καὶ ἡμῖν ἀρκεῖ τὸ μὴ ἀκοῦσαι.*

1772. *Τοῖσιν ὁμαίμοις:* *Ἐτεοκλεῖ καὶ Πολυνείκει.*

1774. *Πρόσφορα:* *ἀντὶ τοῦ χρήσιμα.*

ANNOTATIO CRITICA

AD OEDIPUM COLONEUM

V. 9. *θάκησιν εἴ τινα βλέπεις*] Seidleri haec emendatio est, libris in *θάκοισιν* consentientibus. Vocis *θάκησις* de *sede* dictae usum ex Philoct. 19. illustrant *ἡλίου διπλῆ πάρεστιν ἐνθάκησις*, ubi tamen nihil obstat quominus proprio sensu pro *sessione* accipiatur. At ut nostro loco Sophocles ita etiam Aleadarum fragmento apud Stobaeum Flor. XCI, 27. *εἶτα τῆς ὑπερτάτης τυραννίδος θάκησιν, ὑψίστην ἕδραν.* Ita enim haec scribenda sunt.

11. *στῆσόν με κἀξίδρυσον ὡς πυθώμεθα*] Luxuriare Sophoclem in usu verborum praepositionibus iunctorum, iam veteres magistri animadverterunt. V. schol. ad Electr. 1647. et Oed. Col. 1648. Suos tamen certosque haec res fines habet, neque ullo modo fieri potest, ut praepositio ita vim suam exuat, ut non nisi numerorum complendorum causa verbis addita esse videatur. Itaque mihi quidem plane incredibile videtur, *ἐξιδρῦσαι* poetam dixisse pro simplici *ἱδρῦσαι*, ac quemadmodum nemini unquam in mentem venire potuit *ἔξεδρος* dicere pro *ἑδραῖος*, ita *ἐξιδρῦσαι* quoque nihil aliud esse potest quam *ἐκτοπίσαι*, *in aliam sedem transferre* vel *sedem procul ponere*, ut in Euripidis fragmento apud schol. Aristophanis Nub. 139. *τηλοῦ*

— γὰρ οἴκων βίοτον ἐξιδρυσάμην. Has ob causas Sophoclem aut κἀνίδρυσον aut κἀφίδρυσον scripsisse suspicor, quorum alterum praeoptavi. Pro πυθώμεθα libri πυθοίμεθα habent; correxit Brunckius. Scholiasta per μαθησόμεθα explicat, certo indicio, hunc quoque in suo libro coniunctivum legisse.

13. ἂν δ'] Ante Elmsleium χἂν. Laur. aliique ἂν.

15. πύργοι μὲν οἳ πόλιν στέγουσιν] Pro στέγουσιν Wakefieldus στέφουσιν conjecit, quod Dindorfio non displicuit, mihi non pro simplicitate dictionis, qua Sophocles Antigonam utentem induxit, dictum videtur. Quod enim in Antig. 122. στεφάνωμα πύργων dixit poeta, in carmine lyrico dictum est, ac praeterea de loricis potius et propugnaculis turrium, quas πύργων στεφανὰς Euripides Troad. 783. appellat, intelligendum est, quam de ipsis moenibus urbem coronae instar cingentibus. Aptius afferri potuisset quod Alpheus Mityl. Anthol. Pal. IX 104. de Troiae muris dixit θειόδομος στέφανος. In Sophoclis loco si quid mutandum est, quod mihi quoque necessarium videtur, malim utique σκέπουσιν.

16. ἱερός] Laur. ἱρός, probante Dindorfio eamque formam ubicumque metrum admittit, restituendam censente; at reliquit tamen ubique trisyllabum ἱερεύς. Ibid. ἀπεικάσαι] Laur. ἀφεικάσαι, π ab S. superscripto. DINDORFIUS. Apographa partim σάφ' εἰκάσαι partim ἀπεικάσαι.

27. ἐξοικήσιμος] Fuit qui εἰσοικήσιμος coniceret; at quem ad modum Thucydides II, 17. de Pelasgico domiciliis instructo ἐξῳκήθη dixit, pari iure etiam Sophocles locum incolis frequentatum dicere potuit ἐξοικήσιμον.

28. οἶομαι δὲ δεῖν οὐδέν] Ad haec scholiasta ex v. 26. intelligit ἐλθοῦσαν ἐρωτῆσαί με, quod num recte fieri possit

vehementer dubito. Nisi fallit sententia, post *οὐδέν* excidit *πονεῖν*, ut hic Sophoclis versus fuerit:

οἴομαι δὲ δεῖν
οὐδὲν πονεῖν· πέλας γὰρ ἄνδρα τόνδ' ὁρῶ,

sive malis *ἄνδρα νῷν ὁρῶ*. cf. v. 1022. *εἰ δ' ἐγκρατεῖς φεύγουσιν, οὐδὲν δεῖ πονεῖν.* Euripides Iphig. Aul. 1042. *εἰ δὲ μή, τί δεῖ πονεῖν.* Nauckium hos duo versus, in quibus verba *οἴομαι δὲ* sensu destituta esse dicit, in unum contrahentem (*ἀλλ' ἐστὶ μήν· πέλας γὰρ ἄνδρα νῷν ὁρῶ*) fefellit sententiae series et progressus. Oedipus dixerat: i quaeso et percontare qui locus sit in quo versamur, si tamen habitatus est incolis. Ad haec filia regerit: est vero habitatus; credo autem non opus esse ut discedam. video enim virum nobis appropinquantem, ex quo sciscitari licet quae scire cupimus. In quo quid tandem non rectissime dictum est? Suspicor Nauckio meo fraudi fuisse, quae etiam Solgerus aliique non recte interpretati sunt, verba *εἴπερ ἐστί γ' ἐξοικήσιμος*, quae non significant *num sit habitatus*, sed *si tamen habitatus est.* Neque neglectae stichomythiae legi timendum est; stichomythia septem versibus 21—27 absolvitur, quorum qui medius est, reliquis quasi quidam mesodus interpositus est. Tum quinque versus sequuntur, quorum duo paria Antigona, medium Oedipus recitat. Vides artificiosissime conditas esse has duas dialogi partes.

30. *δεῦρο προστείχοντα κἀξορμώμενον*] Recte *προσστείχοντα* edidit Dindorfius, metri necessitate poetam coactum existimans *ἐξορμώμενον* postposuisse, cum *ἐξορμώμενον καὶ προσστείχοντα* potius dicendum fuisset. Quid vero impedit quin poetam *κἀφορμώμενον* scripsisse et duo haec participia frequentissima figura *ἐκ παραλλήλου* posita esse statuamus?

35. *ὧν*] Libri *τῶν*, correxit Elmsleius.

39. *ἔμφοβοι*] Hoc si corruptum esset, *ἔγκοτοι* potius, quod Aeschyleum Furiarum epitheton est, quam quod Nauckius voluit, *ἔννυχοι* corrigendum dicerem; atqui ut *φοβερός* et *timidum* et *timendum* significat, ita suo iure poeta etiam Furias *ἐμφόβους*, *terroris plenas*, appellare potuit. Quod autem seriores tantum scriptores hoc adiectivo utuntur, ea nulla in tanto perditarum fabularum numero suspectandae vocis causa est. Prudenter ea de re disseruit Dindorfius in *Aeschyleische Chorges.* p. 36.

42. *ἂν*] Ante Vauvillersium *ὤν*.

44. *ἵλεῳ μὴν*] *ἵλεως μὲν* Laur. et lemma scholii, in quo cave latere putes *ἵλεῳ ἐμέ*. innumeris locis *σ* finale ex iota adscripto natum est. Non dubitavi emendationem Elmsleii recipere.

45. *ὡς οὐχ ἕδρας γῆς*] Ante Elmsleium pro *ὡς* legebatur *ὥστ'*, quod frustra tuetur Hermannus. Praeterea Musgravius fortasse recte *γε* scripsit pro *γῆς*:

47. *οὐδ' ἐμοί τοι*] Ita librorum scripturam *οὐδ' ἐμόν τοι* et *οὐδὲ μέντοι* correxit Seidlerus. Dura tamen et vix graeca oratio est *ἐμοὶ θάρσος ἐστὶ τὸ ἐξανιστάναι*, in quo articulus merito male habuit Nauckium, nullam ille offensionem habiturus, si verbo *θαρσῶ* poeta usus esset; nec bene omittitur pronomen, ut fere scribendum suspicer *ἀλλ' οὐδ' ἐμοί τοι τοῦ σ' ἀνιστάναι* —

48. *πρίν γ' ἂν ἐνδείξω τί δρῶ*] Mira haec est dicendi brevitas pro *ἐνδείξω καὶ μάθω τί δρῶ*, non tamen ut librorum scripturam vitiatam esse credam. De virorum doctorum coniecturis una omnium quam Martinus fecit commemoratu digna est. Is *ἐξειδῶ* pro *ἐνδείξω* scribendum esse coniciebat.

57. *χαλκοῦς ὀδός*] Ante Brunckium scribebatur *ὁδός*. Aeneum limen, quod de Agamemnonis tentorio superesse fabulabantur, ostendebatur etiam apud Aulidenses, teste Pausania IX, 19.

59. τὸν ἱππότην] Quum non versimile sit, statuam Coloni herois in scena fuisse repraesentatum, recepi Reiskii emendationem; libri τόνδ' ἱππότην.

61. ὦ ξέν', οὐ λόγοις τιμώμεν', ἀλλὰ τῇ ξυνουσίᾳ πλέον] De his ita disputavit Schneidewinus: *die λόγοι gehen nicht blofs im Sinne der heroischen Zeit auf verbreitete Volkssagen, sondern auch mit Rücksicht auf Sophocles selbst, auf das Schweigen der älteren Poesie von diesem Orte und seinen Heiligthümern.* Ampullis et sesquipedalibus verbis nihil efficitur. At recte idem τὴν ξυνουσίαν de incolis regionis interpretatus est. His autem quum non bene opponantur λόγοι sic in universum commemorati, nescio an poeta scripserit:

τοιαῦτά σοι τάδ' ἐστίν, οὐ ξένων λόγοις
τιμώμεν', ἀλλὰ τῇ ξυνουσίᾳ πλέον,

ut non peregrinorum sermonibus haec celebrari dicantur, tanto magis vero ab incolentibus. Nec iusto audacior videbitur mutatio reputantibus veterem verborum οὐ ξένων orthographiam fuisse *ΟΞΕΝΟΝ*, quod facili lapsu abiit in *ΟΞΕΝΟ*, i. e. ὦ ξέν' οὐ. Pro πλέον, quod habet sane in quo offendas, Schneidewinus non sine soloecismi vitio scribi voluit λεῴ; si quid mutandum, forsan γέρον scribendum est, quod sic sine ὦ in fine senarii ponitur v. 744. Oed. Tyr. 1001. aliisque locis.

66. τῷ πλήθει λόγος] Scholiasta ἢ ἐν τῷ πλήθει ἐστὶν ἡ ἰσχύς, quae Bonitzii coniecturam confirmare videntur κράτος pro λόγος scribentis. Bergkius τέλος coniecit. Possis etiam σθένος cll. Hesychio Σθένος· ἰσχύς.

70. ἆρ' ἄν τις αὐτῷ] Laur. et magna apograph. pars ἆρ' οὖν, unde ἆρ' οὖν τις ἂν τῷ conicias. Saepe sic ponitur demonstrativum τῷ apud Aeschylum, rarius sane apud Sophoclem, sed tamen ut exempla non plane desint. Ceterum sensus

non est *an aliquis vestrum eum arcessat?* sed *an quis vestrum ad regem nuntius eat?*

71. ὡς πρὸς τί; λέξον. ἢ καταρτύσων μολεῖν;] Ita haec scripsi et distinxi ad mentem Elmsleii. Vulgo ὡς πρὸς τί λέξων ἢ καταρτύσων μόλοι. Neque aliter Laur. Pro μόλοι apogr. nonnulla μολεῖν. Dindorfius edidit ὡς πρὸς τί, λέξων ἢ καταρτύσων, παρῇ;

72. ὡς ἂν] Plena oratio esset: ναί, βούλομαι αὐτὸν μολεῖν, ὡς ἂν —

76. πλὴν τοῦ δαίμονος] Nolim his interpolationis suspicionem movere. Generosum, inquit, te virum ostendis; sed laboras a fortuna, quae nequaquam se generosam in te praebuit.

78. τοῖς] Ante Brunckium τοῖσδ'.

79. γε] Vulgo σοι, cui quod in Laur. a pr. m. superscriptum est γέ, omnia habere videntur apographa. Bergkius coniecit οἴδε γὰρ κρινοῦσί σε.

80. εἰ χρῇ] Ante Turnebum ἢ χρή

83. ἔξεστι φωνεῖν ὡς ἐμοῦ μόνης πέλας] Cave hunc versum pro spurio eicias; necessarius enim est si quis alius. neque enim hoc dici debuit, omnia pacata esse et tranquilla, sed hoc, licere iam omnia tuto et sine timore dicere.

84. εὖτε νῦν ἕδρας πρώτων ἐφ' ὑμῶν τῆσδε γῆς ἔκαμψ' ἐγώ] Non tollitur orationis, de qua haud iniuria conquesti sunt critici, scabrities neque Burgesii coniectura τῆσδε γυῖ' ἔκαμψ' ἐγώ, neque Dindorfii πρώτης ἐφ' ὑμῶν. In utraque manet, in quo ipso maxima est offensio, praepositio ἐπί eo loco posita, ubi per syntacticas leges poni non potuit. Mea sententia vitium loci in ἕδρας haeret, pro quo si πόδας scriptum esset, et structurae et sententiae satisfactum dicerem: *vos primae in hac regione estis, apud quas consedi.* ἐφ' ὑμῶν breviter dictum

est pro ἐπὶ τοῦ ὑμῶν τεμένους. De κάμπτειν πόδας pro usitato κάμπτειν γόνατα vel κῶλα cf. Hermannum ad Aeschyli Sept. 772. ἕδρας fortasse a glossatore ad ὑμῶν in margine adscriptum erat, unde postea in textum illatum πόδας expulit. Nisi forte ἕδρας ut ἐφέδρανα apud Polluc. II, 184. de artubus explicare velis, quos considentes flectimus, ut ἕδρας κάμπτειν non differat a κῶλα κάμπτειν.

92. οἰκήσαντα] Triclinius οἰκήσοντα, quod Schaeferus et Bergkius probarunt. Doederlinus et Hermannus coniecerunt οἰκίσαντα. Verum est οἰκήσοντα. Quod enim Hermannus dicit, non hic habitare, sed sepeliri velle Oedipum, fefellit eum usus verbi οἰκεῖν, de quo dixi ad Oedipum R. 584.

106. ὦ γλυκεῖαι] Ita Oedipum compellare Furias, quod per eas se ad τὸν γλυκὺν λιμένα malorum suorum deductum iri sperat, cum Iacobsio existimat Dindorfius; quae iusto artificiosior est interpretatio. Nil est nisi blanda dirarum dearum compellatio.

113. σιγήσομαί τε καὶ σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα] Nauckius σιγήσομαί τοι, Bergkius σιγήσομαι 'γώ, quali aphaeresi post αι diphthongum Aeschylus et Sophocles, credo etiam Euripides, usi non sunt. Sanam esse editam scripturam ostendit v. 494. ἠκούσαμέν τε χὤτι δεῖ πρόστασσε δρᾶν. Philoct. 48. ἀλλ' ἔρχεταί τε καὶ φυλάξεται στίβος. Ibid. πόδα κρύψον κατ' ἄλσος] Inepte dictum esse πόδα κρύπτειν intellexit post alios Cobetus V. L. p. 193. at quod coniecit πάλιν κρύψον, minus feliciter excogitatum est. Neque πέλας, quod alii coniecere, probabiliter coniectum est. Scribendum erat τόδε κρύψον κατ' ἄλσος. Vidit hoc etiam Martinus.

121. λεύσατ' αὐτόν, προσδέρκου, προσπεύθου] Haec Laur. scriptura est. alii pro λεύσατ' habent λεύσσατ', Triclinius

λεύσσετ'. Hermannus, quem Dindorfius sequutus est, edidit *προσπεύθου, λεῦσσέ νιν, προσδέρκου*, qui cur *προσδέρκου* et *προσπεύθου* transponeret nulla causa erat. Idem olim in Elem. doctr. metr. p. 768. *λεῦσσ' αὐτόν* coniecerat, quam correctionem postea improbavit, pronomen *αὐτόν* non minus offensioni esse dicens, quam in latina poesi *eius*. Hoc quidem non recte comparari apertum est. Et quid fiet de Philoct. 991. *ξυλλάβετέ γ' αὐτόν*, vel Oedip. Col. 1192. *ἀλλ' ἔασον αὐτόν*, centenisque aliis locis, in quibus pronomen *αὐτός* eodem prorsus modo positum est. Non dubitavi igitur reponere quod omnium simplicissimum erat *λεῦσσ' αὐτόν*. Pro *προσδέρκου* autem, quod metro repugnat, vide an scribendum sit *προσδρακοῦ*.

125. *ἔγχωρος*] Libri *ἐγχώριος*. correxit Bothius.

129. *ἀμαιμακετᾶν*] Ante Hermannum *ἀμαιμακέταν*.

131. *ἀλόγως τὸ τᾶς εὐφάμου στόμα φροντίδος ἱέντες*] Non invideo quibus hoc non tam exquisitum quam contortum dicendi geuus placere potest; accedit alia corruptelae suspicio ex brevitate syllabae finalis in *φροντίδος* petenda, cuius rei quae apud Sophoclem reperiuntur exempla in systematis glyconicis, et paucissima sunt et facili opera removenda. Hoc quidem loco scribendum videtur:

ἄλογον τὸ τᾶς
εὐφάμου στόμα φροντίδος
τιθέντες.

Qua emendatione simul hoc consequimur, ut v. 133. ad amussin respondeat antistrophico; in *ἱέναι* enim Sophocles constanter primam syllabam producit, nisi quod semel in dactylico versu Electr. 131. dixit *οἶδά τε καὶ ξυνίημι*, quibus numeris aliter hoc verbum aptari non potuit.

134. *ἄζονθ'*] *ἄγονθ'* Triclinius.

137. *ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν· φωνῇ γὰρ ὁρῶ*] Ita ex apogr. quibusdam edidit praeeunte Elmsleio Hermannus. Laur. et pleraque apogr. *ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν ἐγώ*. Vulgo *ὅδ' ἐκεῖνος ἐγώ*. De sequentibus eos recte statuere credo, qui *φωνῇ ὁρᾶν* proverbialem loquutionem esse existimant et *τὸ φατιζόμενον* in eum sensum accipiunt, quo vulgo *τὸ λεγόμενον* dicitur. Non inepte compares quod apud Euripidem Heracl. 392. habes *ἀγγέλοισι τοὺς ἐναντίους ὁρᾶν*, de eo dictum qui non suis ipse oculis hostes cernit, sed ex nuntiorum sermonibus de eis comperit.

142. *μή μ' ἱκετεύω προσίδητ' ἄνομον*] Ex communi loquendi consuetudine haec nihil aliud significare possunt quam *nolite me adspicere qui homo sum nefarius*. Sophocles autem nove dixit pro *ne me nefarium esse existimate*, plane ut nos loqui solemus *betrachtet mich nicht als einen Verbrecher*. Nullum aliud huius loquutionis exemplum mihi compertum est, ac facile poeta insolentiae crimen, si quod est, vitare potuisset scribendo *νομίσητ' ἄνομον*.

144. *οὐ πάνυ μοίρας εὐδαιμονίσαι πρώτης*] Nihil in his novandum esse ostendi in Philologo Gott. XIV p. 2. De *οὐ πάνυ*, *minime*, dixi ad Aeschyli Eumen. 336.

149. *ἐή*] Vulgo *ἒ ἔ*. Dindorfius *ἐή*. Musgravius *αἶ αἶ*. Pro *ὀμμάτων* strophico versui, nisi in eo *ναίει* iambica mensura dictum est, melius conveniret *ὀφθαλμῶν*. post *ὀμμάτων* praeeunte Corae recte interpunxit Dindorfius, cetera ita distinguens *ἆρα καὶ ἦσθα φυτάλμιος δυσαίων;*

151. *μακραίων θ' ὅσ'*] Libri *μακραίων τέ θ' ὡς*. *τέ* delevit Bergkius, *ὡς* emendavit Bothius. Dindorfius cum Hermanno edidit *μακραίων γ', ὅσ' ἐπεικάσαι*.

157. *προπέσῃς*] Ante Hermannum *προσπέσῃς*. Recte autem legitur *προπέσῃς*, i. e. *προπετῶς προχωρήσῃς*, ne imprudens et inconsulto procedas. Grammaticus Bekkeri Anecd.

p. 112. *προπεσεῖν: προπετῶς τι ποιῆσαι. Ὑπερείδης.* Noli igitur *προμόλῃς* conicere, nec meliore iure tentatur librorum scriptura in huius fabulae vs. 1218. *ὅταν τις ἐς πλέον πέσῃ τοῦ δέοντος.*

160. *ῥεύματι συντρέχει*] Sensus est *ubi aqua mulsa libatur.* sed de libatione non *ῥεῦμα* dici solet sed *χεῦμα, Honiggufs,* non *Honigflufs.* Quare *χεύματι* scripsi.

161. *τῷ*] Ante Brunckium *τῶν* edebatur.

164. *πολλὰ κέλευθος ἐρατύει*] Musgravius *ἐρατύοι*, at iubentis oratio requiritur, non optantis. Bergkius coniecit *πόλλ' ἃ κέλευθος ἐρατύει.* Nihil mutandum videtur, recteque locum interpretatur scholiasta.

166. *ἔχεις*] Recte Reisigius *ἴσχεις*, nisi forte sufficit *ἕξεις*. In Laur. *οἴσεις* superscriptum est a m. rec. quod si meliorem auctorem haberet, haud cunctanter praeferrem, ac praetulit Elmsleio praeeunte Hermannus.

172. *κοὐκ ἄκοντας*] Ita Triclinius. Laur. *κοὐκ ἀκούοντας*. Musgravius *κἀκούοντας*. Hermannus *κοὐ κατοκνοῦντας*.

175. *μεταναστὰς*] Ante Hermannum *καὶ μεταναστάς*. Non infrequens est duorum participiorum, ut alterum ab altero suspensum sit, coniunctio, hic autem durissima est, nihil tamen offensionis habitura si *πιστεύων* legeretur, *qui tibi fidem habens locum mutaverim;* at forsan sufficit *μετανάστας* scribere, i. e. *μετανάστης γενόμενος.* nec displiceret *σοὶ πιστεύσας καὶ ἀναστάς.*

178. *προβῶ;*] Vulgo *ἔτ' οὖν προβῶ.* delevit inimica metro verba Hermannus. tum *πόρσω* pro *πρόσω* Bothius.

181. *πρόσω*] Dindorfius probabiliter *πόρσω*.

183. Post h. v. quattuor versuum lacunam indicavit Hermannus, qui responderint versibus 119—122. Lacuna non ani-

madversa 184—186. Antigonae continuabantur. correxit Hermannus. DINDORFIUS.

185. *πόλις*] Nauckius coniecit *πόλει*, ne *τέτροφεν* transitivam potestatem haberet. At *τέτροφεν* intransitivo sensu ex uno tantum, quoad scio, Homeri exemplo cognitum, in quo *πέπηγε* significat, ab Atticorum usu scriptorum alienum est, quos non dubium est pro eo usurpasse *τετράφθαι*. cf. Hesychius *Τέθραπται· πέπηγε.*

192. *μηκέτι τοῦδ' ἀντιπέτρου βήματος ἔξω*] Nil proficitur scholiastae explicatione *τοῦ κατ' ἴσον βεβηκότος*. Musgravius *αὐτοπέτρου* tentabat, de nativo saxo hoc interpretatus. Fortasse *ἀγχιπέτρου* scribendum; rupi vicina erat sedes, quam chorus Oedipo indicabat.

193. *πόδα κλίνῃς*] Schol. variam lectionem commemorat *κινήσῃς*. Laur. *κλίνῇις*. Satis insolens dictio est *πόδα κλίνειν*, quam de flectendo gressu explicant, vellemque pro eo scriptum esset in cod. *πόδα κίνει*.

195. *ἦ 'σθῶ;*] *ἦ σθῶ* Laur. pr. *ἦσθῶ* corr. *γρ. ἦστῶ ὃ καὶ βέλτιον* S. *ἦ 'σθῶ* (i. e. *ἑσθῶ*) aptum sensui esset, sed suspectum propter formam aoristi veteribus non usitatam. Non aptum sensui *ἦ στῶ*. Sophocles si vitioso isto *ἑσθῶ* uti nollet, *κλιθῶ* scribere poterat. DINDORFIUS.

196. *λᾶος*] Vulgo *λάου*, quae inaudita forma est quamvis ab Herodiano in hoc Sophoclis loco agnita. correxit Dindorfius.

197. *ἀσυχαίᾳ*] Ante Hermannum *ἡσυχίᾳ*. Tum ante Elmsleium *ἁρμόσαι*.

199. *ἰώ μοί μοι*] Haec ante Hermannum vs. 197 post *ἀσυχαίᾳ* legebantur cum Antigonae verbis coniuncta.

200. *γεραὸν*] Libri *γεραιόν*, correxit Dindorfius.

202. *δύσφρονος*] Dindorfius dubitanter *δυσφόρου* cll.

Aiac. 643. Recte legi *δύσφρονος* cum alia ostendunt tum Aeschylus Suppl. 795. docere potest, rupi adeo sensum tribuens *ἀπρόσθικτος οἰόφρων πέτρα*.

204. *τίς ἔφυς*] Libri *τίς σ' ἔφυ*, correctum in margine Laur.

205. *τίς ὅ*] Ita margo Laur. pro *τίς ὤν*. mox *τίν' ἂν* pro *τίνα* Vauvillersii emendatio est.

210. *μὴ μὴ μή μ' ἀνέρῃ*] Negationum fere nimia est copia, quam frustra defendas Aristophaneo *μηδαμῶς μὴ μηδαμῶς*. Malim utique *μὴ δή, μή μ' ἀνέρῃ*.

212. *τί τόδ'; αἰνὰ*] Libri *τί τόδε; δεινά*. correxit Wunderus.

215. *ὤ*] Addidit Heathius. versu sq. *ξένε* pro *ξεῖνε* Triclinius dedit.

216. *ἐπείπερ ἐπ' ἔσχατα βαίνεις*] Pro *βαίνεις* libri omnes habent *μένεις*, quod dubitari potest an recte emendarit Triclinius. Fortasse vix litera mutata *μέλλεις* scribendum: *cunctaris, ut amplius cunctari non possis*, vel ut nos loquimur *du zögerst bis aufs äußerste*.

219. *μέλλετον, ἀλλὰ τάχυνε*] Libri *μέλλετ', ἀλλὰ ταχύνετε*, quorum illud Hermannus, alterum Elmsleius correxit. In his acquiesendum erat; *ταχύναις*, quod Nauckius volebat, a Sophoclis usu alienum est. cf. infra ad Electr. 798.

220. *ἴστε τιν'; ὤ — ὢ ὢ ἰού*] Vulgo *ἴστε τιν' ἀπόγονον; — ὢ ὢ ἰοὺ ἰού*. Laur. *ἴστε τιν' ἀπόγονον; — ὢ ὢ ἰού*. Reisigius *ἴστε τιν' — ὢ ἰὼ ἰώ*. Dindorfius *ἴστε τιν' ὄντ'; — ὀοοώ*. Sequutus sum Böckhium. At praestare videtur quod nuper Spengelius coniecit OI. *Λαΐου ἴστε τιν' — XO. ὤ*. OI. *ἀπόγονον;*

224. *ἰὼ ὢ ὤ — ὢ ὤ*] Laur. *ἰὼ ἆ ὢ ὤ — ὢ ὤ*. Dindorfius *ὠώ — ὠώ*.

226. *πόρσω*] Libri *πρόσω*. emendavit Triclinius.

228. *μοιριδία*] Laur. *μοι ῥαιδία*, unde Bergkius *μοιραδία*.

229. *ὧν προπάθῃ*] *ἂν προπάθῃ* verisimilis Wunderi emendatio est.

236. *ὦ ξένοι αἰδόφρονες*] *τὸ τῆς Ἀντιγόνης πρόσωπον ὅλον καὶ τοῦ χοροῦ τετράστιχον ὀβελισθὲν εὕρομεν.* SCHOLIASTA. Credo verum vidisse qui v. 236—257. Sophocle indignos esse statuerunt, in quo iudicio convenit mihi cum Cobeto. Non carent illi quidem poetica virtute in quodam orationis sensorumque vigore posita; insunt tamen in his paucis versibus complura Sophoclis ingenio vix digna. Ex hoc genere est quod Antigona, ut audientiam sibi apud senes faciat, se non caecis eos oculis adspicere affirmat. Obscura item sunt et vix intelligibilia *ὥς τις ἀφ' αἵματος ὑμετέρου προφανεῖσα*. Quod in fine carminis dicitur *ὅτι σοι φίλον ἐκ σέθεν ἢ τέκνον ἢ λέχος*, ne Hermanni quidem interpretatione effectum est quin perverse dictum statuatur.

238. *γεραὸν πατέρα τόνδ' ἐμόν*] Nihil novandum videtur; versus constat e dochmio cui anapaestus praemissus est.

243. *πατρὸς ὑπὲρ τοῦ μόνου*] Ita Laur. Triclinius *πατρὸς ὑπὲρ τοὐμοῦ*, unde Hermannus dedit *πατρὸς ὑπὲρ τοὐμοῦ μόνου*, in quibus quid *μόνου* sibi velit, non assequor. Fortasse verum est quod ego scripsi *πατρὸς ὑπὲρ τοῦ [δυσ]μόρου.*

247. *κῦρσαι*] Ante Hermannum *κύρσαι*. Tum libri *ἐν ὑμῖν γάρ*. Recte *ἐν ὔμμι γὰρ* Bergkius.

250. *ἐκ σέθεν*] Elmsleius coniecit *οἰκόθεν.*

251. *λέχος*] Ante Reiskium *λόγος*.

252. Trium syllabarum defectum in fine versus post *βρο-*

τόν Hermanno praeeunte indicavit Dindorfius. Mihi non male scribi posse videtur οὐ γὰρ ἴδοις ἂν ἀθρῶν βρότεον βίον, ὅστις ἂν — Pro βροτόν, quod primus dedit Triclinius, libri omnes habent βροτῶν.

253. φυγεῖν] Ante Dindorfium ἐκφυγεῖν.

260. τάς γ' pro τάς τ' scholiorum editor Romanus.

263. κἄμοιγε] Ante Dindorfium κἀμοί γε.

277. τοὺς θεοὺς μοίραις ποιεῖσθε] Reliqui cod. scripturam quamvis vitiosam. Apographa aliquot μοίρας, alia μοῖραν. Dindorfius μοίρᾳ edidit, omitti posse ratus praepositionem, ut in τάφοις στῆναι, σταθμοῖς φυλάσσειν, χοροῖς στῆναι et similibus. Sed haec apertum est diversi esse generis. Equidem aliquando Sophoclem scripsisse existimabam μοίρᾳ 'ντίθεσθε. nunc nescio an recte Brunckius dederit εἶτα τῶν θεῶν μοῖραν ποιεῖσθε μηδαμῶς. Antiqua orthographia fuit *ΤΟΝ ΘΕΟΝ*, quod male lectum est *ΤΟΣ ΘΕΟΣ*, i. e. τοὺς θεούς, errore tanto procliviore, quum proxime antecedat θεούς.

281. ξὺν οἷς σὺ μὴ κάλυπτε] Pro ξὺν οἷς Dindorfius edidit ξυνείς, totum locum ita conformans:

μήπω γενέσθαι φωτὸς ἀνοσίου· τόδ' οὖν
ξυνεὶς σὺ μὴ κάλυπτε —

quae ratio eam ob causam mihi improbabilis videtur, quod morales sententias poetae tragici toto versu absolvere solent. Hoc tamen certum est, si scripsit poeta σὺν οἷς, non bene eum scripsisse. Pro κάλυπτε, quod item iustam offensionis causam habet, paulo melius esset χάλεπτε. nec desunt exempla vocum epicarum semel tantum a tragicis usurpatarum.

282. δ' ὁ κύριος] Triclinius δὲ κύριος.

300. αὐτὸν ὥστ'] Ita correxit Porsonus librorum scripturam ἀπόνως τ'.

307. *κεὶ βραδὺς ἕρπει*] Probavi cum aliis Brunckii emendationem. Codd. *εὕδει*. Videtur poeta Theseum ad Periclis exemplum tardiusculo gravique gressu utentem fecisse. Cf. 890. *δεῦρ' ἦξα θᾶσσον ἢ καθ' ἡδονὴν ποδός*. Quae ipsius Thesei verba sunt.

309. *ἔσθ' ὅς*] Vulgo *ἐσθλός*, quod optime emendavit Nauckius.

313. *κρατὶ δ' ἡλιοστεγής*] Libri *ἡλιοστερής*. Recepi Corais emendationem, in qua hoc unum displicet, quod *κρατί* adiectivo destitutum friget nec nisi versus implendi causa adiectum videtur, praesertim quum statim *πρόσωπα* sequatur. Vide igitur ne Sophocles *κρατὶ δ' ἡλιοστεγεῖ* scripserit, ut *ἡλιοστεγής* passive dictum sit, *a sole defensus*. Simillimus locus est v. 1260. *κρατὶ δ' ὀμματοστερεῖ κόμη δι' αὔρας ἀκτένιστος ᾄσσεται*.

315. *τί φῶ*] *τί φῶ νιν* Hermannus, Elmsleius *τί φημι*; ac sane tales numeros usus postulat. Scripsi *τί φωνῶ;* cf. 1132.

316. *ἡ γνώμη πλανᾷ;*] Recepi emendationem Spengelii *ἡ γνώμη πλανᾷ*.

318. *τάλαινα*] Non ideo se miseram dicit, quia veretur ne quid mali apportet Ismena, quae Wunderi et Dindorfii sententia est, sed quod fluctuat animo, Ismena sit quam conspicatur an alia. quare post *τάλαινα* plene interpunxi, fecitque id iam Hermannus.

319. *φαιδρὰ γοῦν ἀπ' ὀμμάτων σαίνει*] Triclinii cdd. *φαιδρὸν οὖν*, in quo *φαιδρόνους* latere videtur, quo verbo utitur Aeschylus Agam. 1229. Sed nihil mutandum est. Cfr. Sophocles apud Athen. XV p. 688. A. *φαιδρὰ χορεύει τάρβους θυγάτηρ*, et quae collegit Lobeck. ad Aiac. p. 246. quibus adde incerti tragici (Euripidis opinor) fragm. apud Plutarchum

Mor. p. 655 A. λήγει δὲ Κύπρις θαλίαι τε νέων, οὐδ' ἔτι θύρσος φύλλα βακχείου, quae ita emendanda sunt:

οὐδ' ἔτι θύρσος φίλα βακχεύει.

cf. Euripides HF. 899. ἄκραντα βακχεύει. Liberrimus in his sermonis graeci usus est. Etiam Aeschylum Sept. 135. scripsisse suspicor δοριτίνακτα δ' αἰθὴρ ἐπιμαίνεται, ubi libri invito metro habent δοριτίνακτος. Falli autem, qui talia adverbialiter dici opinantur, rectissime dixit Hermannus ad Euripidis Hel. 291.

320. προσστείχουσα] Ante Dindorfium προστείχουσα.

321. τόδ' ἔστι δῆλον Ἰσμήνης κάρα] Verissime intellectum est δῆλον corruptum esse, non probandum tamen nec quod debili Suidae auctoritate Ἰσμήνης φίλον κάρα exhibentis fultus Hermannus coniecit φίλιον, nec quod Dindorfio et Blaydesio in mentem venit ἀδελφόν. Hoc tam obvium est et tam planum, ut quo pacto in δῆλον corrumpi potuerit, minime intelligas. Sophocles, opinor, scripserat τόδ' ἔστ' αἰδῆμον Ἰσμήνης κάρα.

323. ἔξεστιν] Dobraeus ἐξέσται, quod recepi.

330. Hunc versum, qui in cdd. post 327 legitur, huc transposuit Musgravius. Ibid. δυσάθλιαι τροφαί] Hermannus δυσάθλιοι τροφαί, Dindorfius δύ' ἀθλίω τροφά, numerum δύο necessarium esse affirmans, ne Oedipus inepte pergere videatur ἢ τῆσδε κἀμοῦ. Equidem rem ita mihi informaveram. Ismena miserum patris sororisque statum (τροφαί) intuens exclamat ὦ δυσάθλιοι τροφαί. Ad quae quum Oedipus interrogasset *meumne et Antigonae statum dicis*, Ismena suam quoque sortem miseram esse affirmat.

332. δυσμόρου τ'] Ante Marklandum δυσμόρου γ'.

335. *ποῦ*] Laur. et apogr. quaedam *ποῖ*, alia *ποῦ* cum scholiasta.

336. *εἴσ᾽ οὕπερ εἰσί· δεινὰ τἀν κείνοις*] Codicis scriptura *δεινὰ δ᾽ ἐκείνοις*, in apographis aliis in *δεινά δ᾽ ἐν κείνοις*, aliis in *δεινὰ τἀκείνοις* mutata. Veram quam Schaeferus restituit scripturam fortasse habuit scholiasta, qui explicat *νῦν δὲ τὰ ἐν ἐκείνοις δεινά ἐστιν*. DINDORFIUS.

Ad haec Ismenae verba Oedipus ita respondet, ut filios suos Aegyptiorum maribus, filias autem feminis similes esse dicat: apud hos enim mares domi desidere et telae operam dare, feminas autem in publica luce versari et quae ad victum necessaria sint parare. Profecto nimis abiecte de Sophocle iudicant, qui tam absurda, tam absona et ab Oedipi persona et statu aliena a poeta scribi potuisse sibi persuadent, qui si quis alius quid personae cuique conveniret sciebat. Mihi quidem ista ethnographico scriptore quam poeta digniora videntur, nec dubito quin totus hic locus (337—343), in quo singulae comparationis partes misere claudicant, pariter atque quae in Antigona 904. sqq. leguntur, item prorsus *ἀπροςδιόνυσα* et Antigonae ingenio indigna, a Sophocle abiudicandus sit. Uterque locus ex notis Herodoti locis expressus et importuna unius eiusdemque interpolatoris sedulitate in Sophoclis fabulas illatus est. Nec in verborum usu et orationis conformatione Sophocleam rationem agnosco. Quem enim non magnopere offendat duos versus prope contiguos (342 et 344) ordiri a verbis *σφῷν δέ* et *σφὼ δέ*? V. 340. *σύννομος* ad hominum connubia translatum non defenditur loco Electrae v. 600. ubi Aegisthum Clytaemnestrae *σύννομον* vocat Electra, acerbissime innuptas matris nuptias taxans. Aeschylus autem, apud quem Darius Atossam his verbis compellat *τῶν ἐμῶν λέκτρων γεραιὰ ξύννομ᾽ εὐγενὲς γύναι* Pers. 704. certo non sim-

pliciter dixisset ἐμῇ σύννομε. Dubito item an Sophocles dicturus fuisset quod v. 343. legitur κατ᾽ οἶκον οἰκουρεῖν, cui quae specie similia afferri possunt, re vera tamen sunt dissimilia. Nec verendum est ne his versibus deletis orationis filum male detexatur. Postquam enim Ismena Polynicem et Eteoclem domi desiderê dixerat (εἴσ᾽ οὗπερ εἰσί), Oedipus aptissime statim pergere potuit σφὼ δ᾽ ἀντ᾽ ἐκείνων τἀμὰ δυστήνου κακὰ ὑπερπονεῖτον.

342. σφῷν] Hoc de duplice liberorum sexu interpretatur Seidlerus *ex vobis utrisque*. Mihi σφῷν non genetivus esse videtur, sed dativus quem dicunt ethicus.

351. δεύτερ᾽ ἡγεῖται] Laur. δεῦρ᾽ ἡγεῖται.

355. τέ μου] Ante Elmsleium δέ μου.

361. πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρις Κρέοντί τε θρόνους ἐᾶσθαι μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν] Tyrwhitto et Hermanno αὐτοῖς ἦν ἔρως, Bergkio αὐτοῖς ἤρεσεν, Nitzschio denique, quem Nauckius sequutus est, αὐτοῖς ἦν ὅρος scribendum videbatur; credo nihil horum omnium opus esse. At sententiam loci difficilis male ita ab omnibus accipi video, ut Polynicem et Eteoclem Creonti imperium concessisse existiment. Falsam esse hanc interpretationem vel grammatica loci ratio ostendit; nam quum particula τέ post Κρέοντι illata nihil habeat quod ei respondeat, quod qui intellexit scholiasta, particulam πλεονάζειν alucinatus est, apertum est coniungenda esse αὐτοῖς Κρέοντί τε, quae interpositis ἦν ἔρις similiter distinentur ut v. 1524. factum est πρὸ πολλῶν ἀσπίδων ἀλκὴν ὅδε δορός τ᾽ ἐπακτοῦ. Praeterea χραίνεσθαι tam obscure dictum est, ut quomodo probabiliter explicari possit vix intelligas. Quod enim interpretes existimant, fratres ideo imperium detrectasse, quod veriti fuerint, ne incestu, ex quo nati essent, civitas commacularetur, ante omnia

demonstrari debebat, fuisse hanc apud veteres opinionem, ut regis ex incestis nuptiis oriundi imperio non modo genus regium sed totam adeo civitatem pollui existimarent. Sed huius persuasionis adeo nullum est in tota Oedipi fabula vestigium, ut quicquid piaculi Thebanorum civitas contraxisset, id omne ad Laii caedem referatur. Quare longe aliam loci sententiam esse statuo, dicique arbitror hoc: initio inter ipsos et Creontem disceptatio erat atque adeo inter eos conveniebat, ut regia potestas abrogaretur nec civitas tyrannico imperio regeretur. Expectari enim poterat, si uni eorum regnum deferretur, mox dissidia inter illos oritura esse veteremque generis cladem renovatum iri. Proinde scribendum duxi:

θρόνους ἐᾶσθαι μηδὲ κραίνεσθαι πόλιν.

Apte comparari potest Euripides Phoen. 900.

ἐκεῖνο μὲν γὰρ πρῶτον ἦν, τῶν Οἰδίπου
μηδένα πολίτην μηδ' ἄνακτ' εἶναι χθονός,
ὡς δαιμονῶντας κἀνατρέψοντας πόλιν.

Iam apparet neque cum Dindorfio *Κρέοντι τοὺς θρόνους* scribendum esse, neque sollicitandum esse *ἦν ἔρις*, quod cum infinitivo iunxit poeta eadem plane ratione qua Thucyd. II, 54. dixit *ἐγένετο ἔρις τοῖς ἀνθρώποις μὴ ὠνομάσθαι λοιμὸν ἐν τῷ ἔπει.* Praeterea pro *αὐτοῖς* scripsi *αὐτοῖν.*

370. *κἀξ ἀλιτηροῦ*] Vocem haud dubie vitiosam Toupius ex *κἀλιτηρίου*, Bergkius ex *κἀξ ἀλαστόρου*, Dindorfius ex *κἀξ ἀλιτρίας* corruptam censent; sequutus sum Dindorfium.

379. *κῆδός τε καινόν*] Elmsleius *κῆδός τε κλεινόν*, quod apertum est edito longe deterius esse. v. Hermannum.

381. *αἰχμῇ καθέξον*] Vulgo *τιμῇ.* recepi verissimam, ut mihi quidem videtur, emendationem Cobeti Mnem. IX p. 447. *καθέξον* pro *καθέξων* ex apogr. Par. restitutum est. Mirum

tamen Laur. ceterosque libros omnes consentire in καθέξων, quod qui revocavit Nauckius praecedente versu pro Ἄργος scribendum putavit αὐτός. Hoc quidem fieri non potest, at illud negari non potest, multo rectius haec omnia de Polynice quam de Argivis dici. Quamvis enim sine horum auxilio Thebae expugnari non potuerunt, Polynices tamen totius expeditionis auctor extitit, ut ad hunc potius quam ad Argos referri debeat quicquid de Thebanorum vel strage vel victoria dicitur. Quare suspicor scripsisse poetam ὡς αὐτίκ' Ἀργόθεν τὸ Καδμείων πέδον αἰχμῇ καθέξων, *utpote Thebanos statim bello victurus aut* (si ipse inferior evaserit vel in pugna occubuerit) *eorum gloriam ad caelum usque evecturus.* Ἀργόθεν est quod nos dicimus *von Argos aus,* ex Argis profectus eorumque auxilio sustentatus.

382. *ταῦτ' οὐκ ἀριθμός ἐστιν, ὦ πάτερ, λόγων*] Frequens quidem est ἀριθμός et *numerus* de hominibus dici nulla virtute insignibus, quorum praeter nomina nihil in censum venit; at de inani verborum strepitu dici, nullo vel graeci vel latini scriptoris exemplo comprobari potest. Forsan igitur scribendum:

ταῦτ' οὐκ ἄρ' ὕθλος ἐστὶν ὦ πάτερ λόγων.

His sermonum nugamentis rectissime opponitur veritatis atrocitas. Tuetur tamen librorum scripturam Spengelius, ἀριθμός nostro *Gefüge* respondere dicens.

383. *ὅποι*] Corrigunt alii ὅπου alii ὅπῃ.

384. *κατοικτιοῦσιν*] Bothius κατοικιοῦσιν. atque ita habet Par. F.

385. *ἤδη*] Praestare opinatus sum ἦ δή; *ergo re vera.*

388. *τί δὲ τεθέσπισται τέκνον*] Blaydesius νέον pro τέκνον coniecit. Nullam causam video cur emendentur quae sana sunt.

390. *εὐσοίας*] Libri εὐνοίας, correcti e scholiasta. Rari

usus vocem, quam per *εὐθένεια* interpretantur grammatici, non vana opinor coniectura restituendam arbitror Aeschylo Prom. 446. ubi nunc editur:

ἀλλ' ὧν δέδωκ' εὔνοιαν ἐξηγούμενος,

me quidem quae sit *donorum benevolentia* nesciente. Emendandum puto *ὧν δέδωκ' εὔσοιαν, benefactorum prosperitatem,* quod nobis etiam melius nostro idiomate exprimere licet *den Segen meiner Gaben.* In Sophoclis fragmento a scholiasta allato scribendum videtur: *τῶν τριῶν μιᾶς λαβεῖν εὔσοιαν ἀρκεῖ,* pro *μίαν.*

391. *τίς δ' ἄν τι τοιοῦδ' ἀνδρὸς εὖ πράξειεν ἄν*] Ita Laur. nisi quod *τι* om. ab Hermanno additum. Vulgo *τίς ἂν τοιοῦδ' ὑπ' ἀνδρός.* Apogr. fere *τί δ' ἄν.* Eleganti lusu, at lusu tamen Blaydesius *τί δ' ἂν τοιοῦδ' ὑπ' ἀνδρὸς εὖ πράξειέ τις;*

392. *φασὶ*] Non *ἄνθρωποι*, sed *μαντεῖαι*, quod ex *μαντεύμασιν* v. 387. assumendum.

395. Afferunt h. v. Apostolius VI, 15. et Gregorius Cyprius II, 97.

399. Exteris omnino potuit Oedipus prodesse, quum exsilio scelus iam esset expiatum; Thebani autem mediam quandam ingressi viam atque ita oraculi mentem interpretati sunt quasi iis lucrum paraturus esset mortuus, in quorum non tam terra quam potestate foret. In confini igitur loco facilius se vindicaturos sibi sepulcrum quam si in media alius populi terra conditus esset. SEIDLERUS.

401. *θύρασι*] Ante Elmsleium *θύραισι.*

402. *δυστυχῶν*] Hoc corruptum videtur.

405. *κρατοῖς*] Libri *κρατῇς.* correxit Brunckius.

406. *κατασκιῶσι*] Cf. 1707. *κοίταν ἔχει νέρθεν εὐσκίαστον.* Cave igitur *κατασκεδῶσι* reponas, nec graecum est *κόνει*

κατασκεδαννύναι τινά, sed *κόνιν κατασκεδαννύναι τινός*. cf. Piersonus ad Moer. p. 265.

407. *αἷμά σ' ὦ πάτερ*] Paulo durior structura vitari potest facillima mutatione *αἷμά σου, πάτερ, non licitum hoc Thebanis propter paternam, quam patrasti, caedem.*

415. *ὥς φασί γ'*] Vulgo *ὥς φασιν*, veram scripturam monstrat accentus notatio in Laur. *ὡς φασίν.*

422. *ἐν δ' ἐμοί*] *ἔν τ' ἐμοί* Elmsleius.

424. *κἀπαναίρονται*] Ante Hermannum legebatur *κἀπαναιροῦνται.*

426. *οὔτ' ἂν οὐξεληλυθώς*] *οὔτ' ἐξεληλυθὼς* Laur.

432. *κατῄνεσεν* ex aliquot apogr. in quibus *κατήνεσεν* sine iota, pro *κατήνυσεν* quod est in aliis, *κατηίνυσεν* scriptum in codice. DINDORFIUS.

434. *ἥδιστόν τε*] Ante Hermannum *ἥδιστον δέ.*

444. *φυγάς σφιν ἔξω πτωχὸς ἠλώμην ἀεί*] Neque *ἀεί*, quae Laur. scriptura est, neque *ἐγώ*, quod ceteri libri habent omnes, satis aptum h. l. est. Hinc fuit cum corrigerem *ἠλώμην ἄλῃ*, cll. Eurip. Orest. 56. *ἄλαισι πλαγχθείς*. Hoc antiquo more *ΑΛΕΙ* scriptum facili lapsu in *ΛΕΙ* transmutari posse mihi videbatur. Nunc vitium loci in *ἠλώμην* potius quam in *ἀεί* mihi positum esse visum est. Pro eo in Laur. scriptum est *ἠλόμην*, priore *η* in litura pro *ει*; scripsi igitur *ὠλόμην ἀεί*, cll. Trach. 652. *ἁ δέ οἱ φίλα δάμαρ πάγκλαυτος αἰὲν ὤλλυτο.*

451. *οὐδέ σφιν*] Ante Elmsleium *οὔτε σφιν.*

453. *συννοῶν τε τἀξ ἐμοῦ*] Partem vitii, quo horum verborum sensus obscuratur, sustulit Heathius: libri *συννοῶν τά τ' ἐξ ἐμοῦ.* at praeterea corruptum *ἐμοῦ*, quod ego olim et nunc etiam Dindorfius *τἀπ' ἐμοῦ* scribebamus, vereor tamen ne non recte *τἀπί τινος μαντεῖα* dicantur. Eo sensu opinor

dicendum erat τάπ' ἐμοί, ut recte legitur 414. καὶ ταῦτ' ἐφ' ἡμῖν Φοῖβος εἰρηκὼς κυρεῖ. Quare malui nunc locum ita refingere συννοῶν τε τὰκ θεοῦ, παλαίφαθ' ἁμοὶ Φοῖβος ἤνυσέν ποτε, *denique dei cogitans oracula, quae olim mihi edita sero tandem Phoebus perfecit.*

458. πρὸς ταῖσδε ταῖς] Laur. πρὸς ταῖσι ταῖς σεμναῖσι (σὺν). Canterus σὺν ταῖσδε ταῖς. Dindorfius totum locum ita edidit ἐὰν γὰρ ὑμεῖς, ὦ ξένοι, θέληθ' ὁμοῦ προστάτισι ταῖς σεμναῖσι. Nauckius πρὸς ταῖσι τρὶς σεμναῖσι, quod alienum puto ab h. l. Nec προστάτισι verum puto, quod si scripsisset poeta, credo eum additurum fuisse cujus illae praesides essent, quod adiectivo δημούχοις non satis indicatur. Equidem totum versum si abesset non desiderarem.

459. τῇδε μὲν] τῇδε μὲν τῇ Laur. unde Nauckius τῇδε μὲν τῇ γῇ μέγαν coniecit, deleto πόλει, audacius etiam sequentem versum tentans.

460. τοῖς δ' ἐμοῖς] Laur. οἱ in litura pro ῃ. fuit igitur τῆς δ'. idem pro ἐμοῖς habet ἐμῆς.

467. κατέστειψας] Laur. κατέστιψας.

469. ἀειρύτου] Ante Brunckium ἀειρρύτου, frequenti errore, ut apud Polluc. III, 103.

470. ἐνεγκοῦ] Ante Elmsleium ἐνέγκου.

473. οἰὸς νεαλοῦς] Dindorfium sequutus sum, libri νεαρᾶς. Blaydesius νεώρους, ego νεογνοῦ conieceram. Quod aliis placuit οἰός γε νεαρᾶς, hoc loco ferri non potest, quoniam Oedipus non an lana crateres cingendi essent quaesiverat, sed dubius haerebat ramisne an lana an alia re sibi utendun esset.

Ibid. νεοπόκῳ] οἰνεοτόκῳ superscripto οἰοπόκῳ Laur. νεοτόκῳ et οἰοπόκῳ apogr. Emendavit Canterus. Mox λαβὼν apographa quaedam.

479. *τρισσάς γε πηγάς*] Haec optime ab importunis recentiorum coniecturis vindicavit Spengel.

480. *τοῦ τόνδε πλήσας θῶ*] Non statuendus erat crater, sed effundendus, ut mihi quidem prorsus inutiliter *θῶ* adiectum videatur. Fortasse scribendum est *τοῦ τόνδε πληρώσω*, vel quod eodem redit *τοῦ τόνδε πλήρη θῶ;*

494. Versum in libris Ismenae tributum Antigonae dedit Brunckius; pro *τι* Laur. *σε* (τ superscr.).

495. *μήτε σωκεῖν*] Recepi probabilem emendationem Dindorfii. Libri *μὴ δύνασθαι*. Recte idem *ἐν* non sollicitavit. cf. Matthiae ad Eurip. Hipp. 323.

497. *ἀτέρα* Elmsleius pro *ἡτέρα*.

499. *ἐκτίνουσαν*] Ante Canterum *ἐκτείνουσαν*. Reiskius *ἐκτελοῦσαν*.

500. *ἀλλ' ἐν τάχει τι*] Hermannus *τοι*, Schneidewinus *τῳ*, quorum neutro opus est; non raro graeci sermonis modestia *τι* dicit in re certa et definita. Cfr. Aeschylus Agam. 1059. *εἴ τι δράσεις τῶνδε* = *εἰ δράσεις ταῦτα*. Suppl. 599. *σπεύσεις τι τῶν βούλιος φέρει φρήν*.

502. *ἔρημον οὐδ' ὑφηγητοῦ δίχα*] Pro *οὐδ'* Hermannus et Wexius *ὧδ'*, probavitque Dindorfius; at hoc esset *desertum ut videtis*, quod ab h. l. alienum est. Monstrant hoc ipsi quos Dindorfius attulit loci Oed. Col. 1375. Antig. 919. Oed. Tyr. 83. quibus adde Phil. 228. 265. et sic constanter. Tum *ὑφηγητοῦ δίχα* Hermannus apud Dindorfium, at idem apud Bergkium *ὑφηγητῶν ἄνευ*. ipse edidit *ὧδ' ὑφηγητοῦ γ' ἄνευ*. Laur. *δ' ἄνευ*.

504. *χρῆσται*] De hac forma dixit Nauckius Observ. crit. de trag. gr. fragm. 23. Laur. *χρῆσται* (η superscr.).

509. *εἰ πονοῖ*] *εἰ πονῇ* Laur. *εἰ πονεῖ* apogr. *εἰ πονοῖ* Dindorfius.

511. *ἔραμαι πυθέσθαι*] Forsan *ἔραμαί τι πυθέσθαι.*

516. *πέπον*] Vulgo *πέπονθ'*, quod alii aliter, optime omnium Bothius correxit, quem Dindorfio praeeunte sequutus sum; nescio cur hoc ineptum dicat Hermannus.

517. *μηδαμά*] Libri *μηδαμᾶ*, a Brunckio correcti.

518. *ξεῖν'*] Ante Nevium *ξέν'*, et mox *ἰώ μοι* ante Hermannum.

520. *πείθου*] Malim *πιθοῦ*, nec obstat metrum.

521. *ἑκών*] Ita verissime Bothius correxit librorum scripturam *ἄκων*. vanae sunt reliquorum coniecturae.

523. *αὐθαίρετον*] *ἐθελητόν* Hermannus, *ἀκάθαρτον* G. Wolfius.

525. *ἴδριν*] Libri *ἴδρις*. correxit Mudgius.

527. *ματρόθεν*] Ante Elmsleium *μητρόθεν.*

528. *ἐπάσω*] Libri *ἐπλήσω*. egregie emendavit Nauckius.

530. *μὲν*] Hoc ab Elmsleio additum; nescio an praestet *φεῦ*, ut voluit Reisigius.

532. *παῖδε*] Elmsleius pro *παῖδες.*

534. *αὗται γὰρ ἀπόγονοι τεαί*] Laur. *σαί τ' ἄρ' εἰσὶν ἀπόγονοί τε καί*, similiter apographa. recepi Hermanni emendationem quamvis incertam, etiam propter *τεαί*, qua forma dubitari potest an Sophocles usus sit. Quod aliis placuit *σαί τἄρ' εἰσ' ἀπόγονοί τε καί*, propter sequentem versum, qui ante Solgerum chori erat, probari non potest.

535. *κοιναί τε*] Ita scripsi pro *κοιναί γε.*

539. *ἐπωφέλησα πόλεος ἐξελέσθαι*] Ante Hermannum *πόλεως* erat. *ἐπωφέλησα* prorsus incredibile est poetam dixisse pro *ὤφελον*. Lasciva temeritate Blaydesius corrigi voluit

ἐκ τᾶσδε πόλεος ὄφελον ἐξελέσθαι. Qui autem nihil vitii loco inesse statuunt sensumque hunc esse sibi persuadent *accepi donum, quod ut nunquam a civitate debuerim accipere, ei profui,* oratione utuntur non magis latina, quam Sophocles, si ista scripsit ut nunc eduntur, graeca. Accedit quod aliud est *δέξασθαι,* aliud *ἐξελέσθαι.* Videtur res satis leni emendatione in hunc modum probabiliter confici posse:

ὃ μήποτ' ἐγὼ ταλακάρδιος
ἐπωφελήσας πόλεος ἢ 'ξελέσθαι,

quod nunquam ego tam forti animo eram ut pro beneficiis civitati praestitis mihi elegissem. Orationis forma paulo implicatior (coniungenda enim *ταλακάρδιος ἦν ἐξελέσθαι*), sed a Sophoclis ratione non aliena.

547. *καὶ γὰρ ἁλοὺς ἐφόνευσα*] Libri *ἄλλους.* Recepi Hermanni emendationem, non tamen ut *ἁλοὺς ἐφόνευσα* pro *ἑάλων φονεύσας* dictum putem, quod et ipsi et Doederlino placuit, sed ut sit *oppressus,* sc. ab Laio eiusque comitibus. Respipit opinor Hesychius *Ἀλούς· πιασθείς.* Hoc ipsum illud est, quod dicebam, *oppressus.* Multo deterius est quod Porsonus coniecit *ἄνους.* Neque enim *mente captus* fuisse dici potest Oedipus, quum patrem occideret. Ibid. *καὶ ὤλεσα*] Vulgo *καὶ ἀπώλεσα.* correxit Bothius.

560. *ἐφ' ἀστάλῃ*] Dindorfii emendatio est. Libri *ἀπεστάλῃ,* Hermannus *ὃς ἐστάλῃ.*

552. Hunc versum cancellis circumscripsit Nauckius ex Euripidis Phoen. 870. *αἵθ' αἱματωποὶ δεργμάτων διαφθοραὶ* ab interpolatore factum suspicans, quae mihi parum probabilis esse videtur suspicio.

554. *ἐν ταῖσδε λεύσσων*] Inepte vulgo *ἐν ταῖσδ' ἀκούων* legitur. correxit Nauckius.

557. *θέλω 'περέσθαι*] Ita Reisigius, libri *θέλω τι ἐρέσθαι*. Tum *Οἰδίπους* pro *Οἰδίπου* Elmsleius scripsit.

562. *ὅς οἶδα κaὐτός*] Vulgo *ὡς οἶδά γ' αὐτός*. Illud Dindorfius, alterum Doederlinus correxit.

563. *εἷς*] Vulgo *τις*. emendavit Dobraeus.

565. *ὥστε ξένον γ' ἂν οὐδέν' ὄνθ'*] Hermannus *ὥστ' οὐ ξένον γ' ἂν οὐδὲν* (ita cod. pro *οὐδέν'*) *ὄνθ'*. aut hoc verum est, aut in fine versus scribendum *οὐδέν' ὄνθ' ὅπερ σὺ νῦν*, *neminem hospitem qui in tali statu est in quo tu nunc es*. Ceterum *γ' ἂν* Vauvillersii est correctio, libri *γάρ*.

570. *βραχέα μοι*] Brunckius pro *βραχέ' ἐμοί*.

574. *χὠ λόγος διοίχεται*] Laur. *διέρχεται*, quod bene in pluribus apogr. *διοίχεται* scriptum est. Postulat hoc constans loquendi usus; exemplis aliunde notis adde Euripidem Stobaei Flor. LXXIV. 27b. *ἀνήρ τ' ἀχρεῖος χἠ γυνὴ διοίχεται* et Iphig. Aul. 964. *ὅταν δὲ μὴ τύχῃ, διοίχεται*.

580. *χρόνῳ μάθοις ἄν, οὐχὶ τῷ παρόντι που*] Incommoda h. l. est particula *που*. nec melius Schaeferus aliique scripserunt *πω*. Scribendum erat *νῦν*, ut Trach. 1169. *χρόνῳ τῷ ζῶντι καὶ παρόντι νῦν*.

587. *οὐ σμικρός, οὔκ, ἀγὼν ὅδε*] Ita Brunckius, vulgo *οὖν ἀγών*, Laur. coniunctim *οὐνάγων*, *γ* post *οὖν* eraso. primo *οὐ* in Laur. *ω* superscriptum est ab alia m. Duplex negatio ut in Sophoclis fr. 761. *οὐ κόσμος, οὔκ, ὦ τλῆμον*, et quem Brunckius attulit Ai. 970. *θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὔ.* Alioqui possis *ὅρα γε μὴν σύ· σμικρὸς οὐκ ἀγὼν ὅδε*.

588. *ἐγγενῶν κἀμοῦ*] Libri *ἐκγόνων ἢ 'μοῦ*, quorum illud Hartungius, *ἢ 'μοῦ* Schneidewinus emendavit.

589. *κεῖνοι κομίζειν κεῖσ' ἀναγκάζουσί με*] Bene ad sensum, sed violenta correctione pro *κομίζειν* Nauckius scribi

voluit *κατελθεῖν*. Ego dubitanter scripsi *κεῖσ' ἐπαξιοῦσί με*. Similiter, sed cum verborum transpositione ideoque etiam minus probabiliter, Engerus *κεῖνοι κομίζειν ἀξιοῦσ' ἐκεῖσέ με*.

590. *οὐ θελόντων γ'*] Laur. *εἰ θέλοντ' ἄν γ'*, apogr. partim *εἰ θέλοιντ' ἄν*, partim *εἰ θέλοιεν ἄν*. Correxit Eduardus Goebel Observ. in Lucretium p. 49. qui *γ'* delevit.

591. *ὅσ' αὐτός*] Libri *ὅτ' αὐτός*. correxit Nauckius.

592. *θυμὸς δ'*] Stobaeus Flor. XX. 27. omittit *δ'*, eiecitque Brunckius, male. V. Hermannum.

594. *λέγειν*] Vix differt a *νουθετεῖν*. Nimirum vox media est *λέγειν*, ut in utramque partem dici possit. Bergkius dubitanter *ψέγειν*.

596. *ἐρεῖς*] Non necessarium puto quod Nauckius coniecit *λέγεις*. cf. Aeschyli Pers. 1029. Sept. 490.

603. *ἐξαναγκάσει*] Alii *ἐξαναγκάζει*.

617. *τὸ*] Libri *τε*, anonymus *τά*, Hermannus *τό*. Inutiles sunt recentiorum lusus.

619. *δεξιώματα*] Apogr. *δεξιάματα*, quae nullius fidei forma est.

620. *δόρει*] Ita Hermannus pro *δορί*. Bergkius *δόρῃ*, quod vereor ut defendi possit.

632. *ὅτῳ*] Libri *ὅτου*, quod e Suida correctum est.

637. *χώρᾳ δ' ἔμπαλιν κατοικιῶ*] Musgravii coniecturam *ἔμπολιν* receperunt omnes praeter Elmsleium, librorum scripturam *ἔμπαλιν* praestare existimantem. Hunc refutavit Hermannus. Mihi nec *ἔμπαλιν* neque *ἔμπολιν* scripsisse visus est poeta, sed *χώρᾳ δ' ἔμπα νιν κατοικιῶ*, quod ut non raro alias *prorsus*, *omnino* significat, velut Antig. 845. *ἔμπας ξυμμάρτυρας ὔμμ' ἐπικτῶμαι*. Nostri id novitio loquendi more

dicerent *jedes Falls*. Formam ἔμπα pro ἔμπας habet ipse Sophocles in Aiace vs. 563.

638—641. Haec vulgo ita scribuntur:

εἰ δ' ἐνθάδ' ἡδὺ τῷ ξένῳ μίμνειν, σέ νιν
τάξω φυλάσσειν, εἰ δ' ἐμοῦ στείχειν μέτα
τόδ' ἡδύ, τούτων, Οἰδίπους, δίδωμί σοι
κρίναντι χρῆσθαι· τῇδε γὰρ ξυνοίσομαι.

Apparet in his nullum esse legitimae orationis vestigium. Laur. ceterique libri fere omnes vs. 639. habent *εἴτ' ἐμοῦ στείχειν μέτα* et vs. sq. *τὸ δ' ἡδὺ τούτων*. Hos, ut par erat, sequutus Spengelius vs. 637. post *κατοικιῶ* virgula distinxit et vs. sq. scripsit *εἴτ' ἐνθάδ' ἡδύ*. Atqui hanc rationem si sequimur, non intelligitur quid faciendum sit verbis *σέ νιν τάξω φυλάσσειν*, quae iam non in apodosi posita sunt, sed sententiam per se efficiunt, cui deest aliquid orationi rite connectendae necessarium. Sensit hoc ipse Spengelius, qui sic illa vertit, *und in diesem Falle sollt ihr für ihn sorgen*. Atqui illud *und in diesem Falle* prorsus arbitrarie illatum est. Diu multumque me hic locus occupatum tenuit, donec tandem vidi post vs. 839. excidisse aliquid in hanc fere sententiam dictum *εἴτ' ἐμοῦ στείχειν μέτα*, [*αὐτοὶ φυλάξομέν σφε μὴ πάσχειν κακῶς*]. Itaque servata ubique librorum scriptura unius versus lacunam indicavi. De *εἰ* — *εἴτε* comparari potest Oed. R. 91.

εἰ τῶνδε χρῄζεις πλησιαζόντων κλύειν,
ἕτοιμος εἰπεῖν, εἴτε καὶ στείχειν ἔσω.

654. *μή δίδασχ' ἃ χρή μ' ὁρᾶν*] Libri ἃ χρή με δρᾶν, quod correxit Nauckius.

658. *πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ πολλὰ δὴ μάτην ἔπη θυμῷ κατηπείλησαν*] Iure mirati sunt viri docti illas minantes minas, neque inepte Schneidewinus *πολλοὶ δὲ πολλοῖς* coniecit, nisi

forte κατηπείλησαν glossema est alius verbi, e. c. κατεξέπνευσαν cll. Eurip. Phoen. 890.

663. πλώσιμον] Puto πλεύσιμον.

664. κἄνευ τῆς ἐμῆς] Dobraeus κἂν ἄνευ γ' ἐμῆς, Dindorfius κἂν ἐμῆς ἄνευ. Sufficere opinor κἀπὸ (vel κἄπο) τῆς ἐμῆς, *absque*.

665. γνώμης] Imploraverat Oedipus Thesei auxilium contra injurias filiorum, cui ita respondet Theseus, ut illum indigere suo auxilio neget, quum ipsius dei iussu huc concesserit. Vides, opinor, unice sententiae convenire quod reponendum duxi ῥώμης, non quod vulgo legitur γνώμης, quod Wunderus explicat *etiam si ego aliter sentiam*, Ellendtius autem *etiam si non sponderem*. ῥώμη de auxilio dictum etiam Oed. Tyr. 1292. ῥώμης γε μέντοι καὶ προηγητοῦ τινος δεῖται.

666. ὅμως δὲ κἀμοῦ μὴ παρόντος] Pro ΟΜΩΣ unius literae mutatione ΑΛΛΩΣ scripsi, i. e. etiam si auctore Phoebo huc non venisti, tamen te meum vel absentis nomen tuebitur. Ita demum haec cum antecedentibus recte conciliari posse videntur.

670. ἔνθ' ἁ] Ante Porsonum scriptum erat ἔνθα.

674. οἰνῶπ' ἀνέχουσα] Dindorfius οἰνῶπα νέμουσα, Bergkius οἰνῶπ' ἀλέγουσα. Non ausus sum mutare librorum scripturam.

687. Κηφισοῦ νομάδες ῥεέθρων] Hoc de rivis Cephisi agrum pererrantibus explicant cum scholiasta, cui interpretationi quum locus, quo νομάδες positum est, non nimis faveat, videndum est an poeta γονάδες scripserit. Ita etiam melius intelligitur cur Cephisus ὠκυτόκος, sive potius ὠκύτοκος, appellatur; male id scholiasta explicat ὠκυτόκα ποιῶν τὰ πεδία.

691. ἀκηράτῳ ξὺν ὄμβρῳ στερνούχου χθονός] Verba στερνούχου χθονός pendent ab ὄμβρῳ, neque cum πεδίων con-

iungenda sunt; postulare hoc videntur leges syntacticae. *ὄμβρος* autem non de imbre, sed de humore terram foecundante intelligo. Describitur terrae solum, quod *παρδακόν* vocat Aristophanes. Pro *στερνούχου* iam diu est quod *σπερμούχου* scribendum conieci, idemque dubitanter proposuit Hermannus, hic etiam a criticis neglectus. Est autem *σπερμοῦχος* tam aptum agri Attici circa Cephisum epitheton, quam *στερνοῦχος* ineptum, quod asperum potius et durum agrum significaret quam fertilem et terrenum. Raram vocem e Polemone attulit Athenaeus X. p. 416 B. Cereris *σπερμούχου ἄγαλμα* apud Delphos commemorante, ubi vulgo legitur *ἑρμούχου*, male explicatum a Prellero in libro de Cerere et Proserpina p. 321, 15. Comparari potest *Δημήτηρ σπερμείη* in h. Orphico XXXIX, 5. Egregie autem hanc Sophoclei loci emendationem confirmatam repperi annotatione scholiastae, *στερνούχου* per *γονίμου* explicantis, quam interpretationem ex vetusto scholiographo duxit, qui veram scripturam adhuc in suo libro habebat.

692. *οὐδὲ μὰν*] Hermannum sequutus sum. Laur. aliique libri *οὐδ' αὖ*, ceteris vel *οὐδέ* vel *οὐδ' ἃ* exhibentibus. Horum alterum tenuit Elmsleius, in strophico versu *θεαῖς* ponens.

695. *νάσῳ πώποτε βλαστόν*] Delevi quod vulgo post *νάσῳ* additur *Πέλοπος*, deleratque iam Bergkius, et recentissima aetate Ritschelius in pereleganti commentatione de hoc Sophoclis carmine Bonnae a. 1862 edita. Pro *πώποτε* idem ex libris Triclinianis *ποτε* recepit, deleto in versu antistrophico *εἰπεῖν*. In *πώποτε* nullam offensionis causam video. Neque enim, quum quid nondum unquam factum esse dicimus, necessario id ita dici existimandum est, quasi posse tamen aliquando fieri cogitetur. Aeschylus, ne longe abeam, quum gravissimam hanc poneret sententiam, *οὔπω τις εἶδε Ζῆνά του*

νικώμενον, tantum abest ut Iovem ullo unquam tempore vinci posse subindicaret, ut hoc potius in animo haberet, *οὐδὲ ὕστερόν ποτέ τις αὐτὸν νικώμενον ὄψεται*. Neque profecto Oedipus Sophocleus quum hoc Creonti dictum inculcaret, *φυγὴν μήπω γενέσθαι φωτὸς ἀνοσίου*, in ea fuit opinione, ut unquam id aliter fore suspicaretur. Atque eadem innumerorum locorum est ratio.

698. *φύτευμ' ἀχείρητον αὐτόποιον*] Dubitari non potest quin recte Dindorfius et nunc etiam Ritschelius ex Laur. aliisque libris *ἀχείρητον* restituerit, *coloni manum non expertum*, pro eo quod ceteri libri habent *ἀχείρωτον*. At nihil dixere viri doctissimi de *αὐτόποιον*, cui explicando Hermannus attulit Hesychii glossam *Ποίη· πόα δέ ἐστιν ἡ τῆς γῆς αὐτομάτως βλαστάνουσα φυτεία*, quae quum manifesto de gramine sua sponte nascente intelligenda sit, non assequor quid inde ad Sophoclis locum melius intelligendum lucremur. Enimvero non dubium est quin vitium traxerit *αὐτόποιον*, quod aut *αὐτόφυιον* scribendum est, ut *δίφυιος* dicitur, de quo Lobeckius ad Phryn. p. 494. et Hermannus ad Aeschyli Agam. 1436. videndi sunt, aut quod praeferendum duxi *αὐτόφοιτον*. Nam hoc quoque recte de plantis arboribusque sua sponte nascentibus dici ostendit Meleager Anth. Pal. V, 144. *οὐρεσίφοιτα κρίνα* commemorans, quod frustra in vitii suspicionem adductum est; ac constat etiam alia proveniendi verba ad plantas pullulantes transferri, e. c. *στείχειν* de lanugine efflorescente apud Aeschylum Sept. 516. et *ἕρπειν ἐπ' ἦμαρ* quod de vite interdiu adolescente dixit Sophocles apud Schol. ad Euripidis Phoen. 227.

702. *τὸ μέν τις οὔτε νεαρὸς οὔτε γήρᾳ σημαίνων*] His verbis poetam ad Xerxen et Archidamum respexisse arbitratur Reisigius, quem omnes, quoad scio, sequuti sunt. Quis autem

non miretur poetam, quod paucis ante versibus de olea nulla hostium vi abolenda indicarat (*ἐγχέων φόβημα δαΐων*), iterum quamquam aliis verbis commemorare? aut quis *γήρᾳ σημαίνων* de imperatore senescente graece dictum esse sibi persuadeat? Denique de senectute Archidami nequaquam ita constat, ut nullus dubitandi locus relictus sit; certe ex eo quod Thucydides dicit eum *πολλῶν μαχῶν ἔμπειρον* fuisse, certa de provecta viri aetate coniectura capi non potest. His de causis nihil aliud poetam dicere arbitror quam hoc, neminem unquam neque puerum neque senem (*nicht Jung, nicht Alt*) vesana mente oleam exstirpaturum esse. Proinde scribendum suspicor:

τὸ μέν τις οὔτε νεαρὸς οὔτε γηρὰς (vel *γήρως*)
ἠλαίνων ἁλιώσει.

Verbo *ἠλαίνειν* in re simillima Callimachus usus est h. Dian. 251. de Lygdamide templum Ephesium eversuro:

τό ῥα καὶ ἠλαίνων ἀλαπαξέμεν ἠπείλησε
Λύγδαμις ὑβριστής.

cf. Etymol. M. p. 425, 7. *ἠλαίνω τὸ μωραίνω, καὶ ἠλαίνουσα παρὰ Παρθενίῳ.* Nec de metro timendum, cui quum hic versus oppositus sit *πρώταισι ταῖσδε κτίσας ἀγυιαῖς*, vides numeros satis bene exaequari, si pro *ταῖσδε* aut *ταῖσδε δή*, aut quod etiam lenius *ταισίδε* reposueris. nam quod tribrachicae iambici pedis formae legitima opposita est, eandem pedum inaequalitatem in eodem metri genere habes supra 541=548. et infra 1672=1699.

Aliter de hoc loco statuit Ritschelius in ea quam ad v. 695 indicavi commentatione p. IX. Tenet is Reisigii de Xerxe et Archidamo sententiam, at pro *νεαρός*, quod nunquam de viro iuvene, sed constanter de tenella puerorum aetate dici demonstravit, aliam vocem requirit; ac quum *γήρᾳ σημαίνειν* ipsi quo-

que suspectum dicendi genus sit, locum ita constituendum conicit:

τὸ μέν τις ἀκμαῖος οὔτε γηρὰς
σημάντωρ ἁλιώσει.

In his *γηράς*, quod mihi quoque restituendum videbatur, Alfredo Schoenio, disciplinae suae alumno, deberi dicit. In ceteris, ut vides, distamus quam qui longissime. Ceterum novum meae opinioni firmamentum accedit ex ipsa illa Ritschelii de usu vocis *νεαρός* observatione.

704. *εἰσαιὲν ὁρῶν κύκλος*] Porsonus, quem Hermannus et Dindorfius sequuti sunt, metri causa *αἰὲν* scripsit; quae emendandi ratio adeo nullam habet a probabilitate commendationem, ut antistrophicus potius versus corrigendus sit.

710. *κτῆμα*] Libri *αὔχημα*, quod Bergkius *σχῆμα* scripsit, cui praestare mihi visum est *κτῆμα*. Aliter Porsonus, qui Hermanno et Dindorfio probantibus, *χθονός* ante *αὔχημα* addidit, servato in strophico versu quod salva dictione poetica servari non potest nomine *Πέλοπος*.

711. *εὔιππον εὔπωλον εὐθάλασσον*] Multa moliti sunt interpretes ut poetam, *εὔιππον* et *εὔπωλον* coniungentem, a tautologiae crimine liberarent. Aliorum commenta ut omittam, Hermanno *εὔιππον* ad regendorum equorum artem, *εὔπωλον* ad alendae nobilis propaginis studium spectare credibile videbatur. Huic Ritschelius opponit, ita inverso potius ordine *εὔπωλον εὔιππον* dicendum fuisse, quia usum et disciplinam praecedat paritura et alitura. Verum hoc, sed tamen patres filiis sunt priores, ut recte *εὔιππον* ante *εὔπωλον* positum videatur. At exilis et putida est illa ab Hermanno indicata distinctio; nec video quid abhorrens a poesi committat, si quis poeta terram equorum proventu celebrem hoc ornet praeconio, *prangend mit*

Rossen, prangend mit Füllen. Nec verendum est ne ita ex bipartito Neptuni munere tripertitum evadat; equorum enim laus, quamquam duas species complectens, revera tamen una tantum est. Navalis autem laudis tenuitas, quippe una tantum voce *εὐθάλασσον* indicatae, magnifico, quo in fine carminis hoc Neptuni beneficium ornatum est, praeconio abunde compensatur. Quodsi poeta scripsisset id quod Ritschelius, expulsa voce *εὔπωλον*, eum scripsisse suspicatur:

σέβας τόδ' εὔιππον εὐθάλασσον,

nemo id sane reprehenderet, at non minus recte fecit quod *εὔιππον εὔπωλον* coniunxit, quibus in verbis si quid vitiosum est, pro *εὔιππον* ego *ἔφιππον* conicerem, quo summa huius versus cum antistrophico concinnitas restitueretur.

715. *ταισίδε κτίσας*] Vulgo *ταῖσδε κτίσας*, Laur. *ταῖς δ' ἔκτισας.*

716. *ἁ δ'*] Musgravius *σὰ δ'*, quod, quamvis acute defensum sit a Ritschelio, tamen ut reciperem a me impetrare non potui.

717. *χερσὶ παραπτομένα*] Neque aoristo hic locus est, nec *χερσὶ πέτεσθαι* recte dici potest de navi remigum brachiis agitata; qui autem *παραπτομένα* ad verbum *ἅπτεσθαι* referunt, ut sensus sit *remus manibus aptatus*, docere debebant, *παράπτεσθαι* dici posse, ubi loquendi usus *προσάπτεσθαι* postulat. non recte igitur Dindorfius comparat *χέρας κώπᾳ προσαρμόσαι* ex Euripidis Iph. Taur. 1405. Praeterea strophici versus metrum ostendit verbum huius mensurae ⏑ – – ⏑ ⏑ – requiri. Quare scribendum erat *παραϊσσομένα*, quod ut fieri solet primum in vulgarem formam *ΠΑΡΑΙΤΤΟΜΕΝΑ*, deinceps gliscente corruptione in *ΠΑΡΑΠΤΟΜΕΝΑ* depravatum est. Consimili errore passim *ἐξάπτειν* et *διάπτειν* scribitur in codd.

pro ἐξᾴττειν et διᾴττειν. v. Koenium ad Gregorium Cor. p. 177. Zeno quoque Stobaei Phys. 1 p. 101, 13. scripsit ἐκ τοῦ ἀέρος πῦρ ἐξᾴττειν, *emicare*, non ἐξάπτειν. Passivo ἀίσσεσθαι utitur Sophocles infra v. 1261. κόμη δι' αὔρας ᾄσσεται, qui in ἀίσσειν epicorum more primam produxit etiam in Trach. 854.

718. ἑκατομπόδων Νηρῄδων] Dixi de his Exercitt. crit. ad Athen. Spec. II p. 23. ubi comparavi Pindari fragm. apud Athen. XIII. p. 574 A. κορᾶν ἀγέλαν ἑκατόγγυιον de quinquaginta virginibus dictum Veneri dedicandis. cf. Lobeck. ad Ai. 55.

721. νῦν σὸν τὰ λαμπρὰ ταῦτα δὴ φαίνειν ἔπη] Vulgo νῦν σοὶ — τὰ λαμπρὰ δεῖ. pro δεῖ Laur. δή, unde optime locum primus correxit Nauckius, sed minus recte idem pro φαίνειν posuit κραίνειν, quo nunquam Sophoclis *perficiendi* sensu usus est; nam vs. 914 scribendum videtur κἄνευ νόμου κρίνουσαν οὐδέν.

729. εἰληφότας] Nauckius e Blaydesii coniectura εἰληφότα edidit. At si recte dicitur θέαν λαμβάνειν, ὕπνον λαμβάνειν, αἰδῶ λαμβάνειν, προθυμίαν λαμβάνειν, γῆρας λαμβάνειν, et multa eiusdem generis alia, quid quaeso impedit quominus etiam φόβον λαμβάνειν recte dici statuamus?

735. τηλικόσδ'] Ante Brunckium τηλικόνδ'.

737. ἀνδρῶν] ἀστῶν apogr. nonnulla, de quo non recte iudicasse opinor Hermannum.

738. ἧκέ μοι γένει] Recepi elegantem emendationem Bergkii ἧκ' ἔμοιγ' ἐνί, nisi, quod non puto, sequentem versum delere praestat, ut voluit Dobraeus.

750. σε — καὶ τὸ σὸν κάρα] Aiac. 1147. σὲ — καί τὸ σὸν λαβρὸν στόμα. Oedip. Tyr. 905. σέ — καὶ τὰν σὰν ἀθάνατον ἀρχάν. Catullus LVI, 40. *adiuro teque tuumque caput.* Pseudo-Cicero pro Domo 145. *meque et meum caput devoveo.*

751. *πτωχῷ*] Apogr. pleraque *πτωχῇ*, Laur. *πτωχῷ* superscripto *ῇ*.

752. *γάμων ἔμπειρος*] Hoc est *virum experta*, quod alienum ab h. l. Quare scripserim *γάμων ἔμμοιρος*, pro quo *γάμου μέρος λαχοῦσα* dixit Antig. 909. Haesisse video etiam Nauckium *ἔγκληρος* corrigentem. Lenius est *ἔμμοιρος*.

755. *οὐ γὰρ ἔστι τἀμφανῆ κρύπτειν*] Nihil in his vel in sequentibus video quod corruptelae suspicionem movere possit: quamdiu dedecora tua in publica luce versantur, occultare ea non licet, quare redi in paternam domum, ut in obscuro delitescant. Ibid. *σύ νυν*] Scribendum erat *νιν*. In tali enim orationis conformatione particula *οὖν* et huic similes in apodosi omittuntur. Philoct. 144. *νῦν μὲν ἴσως γὰρ τόπον ἐσχατιᾶς* (ita enim scrib. ex apogr. pro *ἐσχατιαῖς*) *προσιδεῖν ἐθέλεις ὄντινα κεῖται, δέρκου θαρσῶν*, ubi cod. Γ. turbata structura habet *νῦν μὲν γὰρ ἴσως*. Ib. 1020. *ἀλλ᾽ οὐ γὰρ οὐδὲν θεοὶ νέμουσιν ἡδύ μοι, σὺ μὲν γέγηθας ζῶν*. Oedip. R. 1409. *ἀλλ᾽ οὐ γὰρ αὐδᾶν ἔσθ᾽ ἃ μηδὲ δρᾶν καλόν, ὅπως τάχιστα πρὸς θεῶν καλύψατε*. Oedip. Col. 624. *ἀλλ᾽ οὐ γὰρ αὐδᾶν ἡδὺ τἀκίνητ᾽ ἔπη, ἔα μ᾽ ἐν οἷσιν ἠρξάμην*. Nolo plura afferre, constans enim et perpetuus usus est.

759. *ἥ δ᾽ οἴκοι*] Nove dixit pro *ἡ οἰκεία*, nove item dictum quod statim sequitur, *σέβεσθαι* sensu passivo, et quod 636. legitur *σεβισθείς*, quorum neutrum illaesum mansit ab intemperiis criticornm recentiorum.

758. *τήνδε τὴν πόλιν φίλως εἰπών*] Dindorfius Reisigium sequitur haec per euphemismum dicta esse statuentem pro *χαίρειν κελεύων* i. e. *non curans*. Quam falsam esse interpretationem sequentia ostendunt. Notissimae sunt dictiones *εὖ εἰ-*

πεῖν τινα, κακῶς εἰπεῖν etc. Quibus assimilavit poeta *φίλως εἰπών* de urbe loquutus, i. e. *amanter urbi valedicens.*

768. *ἦ*] Ante Elmsleium *ἦν*. Quae post hunc versum in libris leguntur *κἀμάνθανον τὸν θυμὸν ἐκδραμόντα μοι*, delenda esse vidit Valckenarius ad Euripidis Hippol. 1029.

775. *τίς αὕτη*] Laur. *τοσαύτη*.

783. *φράσω δὲ καὶ τοῖσδ'*] Laur. *τοῖσ*, Blaydesius *τάδ'*.

785. *τῆσδ'*] Libri *τῶνδ'*, emendati a Scaligero.

790. *χθονὸς λαχεῖν τοσοῦτον ἐνθανεῖν μόνον*] Pro *ἐνθανεῖν* si scripsisset poeta *ἐνθάπτειν*, i. e. *ὥστε ἐνθάπτειν αὐτοὺς μόνον*, loquutus esset ut omnes in ea re loqui solent. Ceterum neque *ὅσον περ* pro *τοσοῦτον*, neque *ὅσον* pro *μόνον* scribendum est.

797. *ἀλλ' οἶδα γάρ σε ταῦτα μὴ πείθων*] Laur. *δα* et *γ* in litura habet, nec dubitandum quin locus vitium alat. Diu est quod scribendum conieci *ἀλλ' ἴσθι γάρ με ταῦτα μὴ πείσων*. Haec demum rei accommodata est oratio; vidit aliquid, sed non absolvit emendationem, vir doctus apud Musgravium coniciens *ἀλλ' οἶσθα γάρ με ταῦτα μὴ πείθων*.

800. *πότερα νομίζεις δυστυχεῖν ἔμ' εἰς τὰ σά*] Scholiasta *ἀντὶ τοῦ ἐν τῷ μὴ πείθεσθαί σε μᾶλλον σὺ δυστυχεῖς ἢ ἐγώ*. Apertum est haec non sufficere ad interpretationem loci obscuri, de quo, ut solet, subtili iudicio disseruit Bonitzius *Beiträge zur Erklärung des Soph.* l. p. 85. Manet tamen dubitatio de verbo *δυστυχεῖν*, pro quo legendum suspicor *δυσστοχεῖν*, ut hoc dicat: *credisne tu me potius an te de rebus tuis male conicere* (*iudicare*)? Verbum *δυσστοχεῖν* alibi non inventum optime tuetur contrariae potestatis verbum *εὐστοχεῖν*.

808. *χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὰ καίρια*] Suidas v. *χωρὶς τὰ Μυσῶν* habet *τὸ καίρια*, quod etiam scholiasta legisse

videtur *ἄλλο ἐστὶ τὸ φλυαρεῖν, ἄλλο τὸ ἀναγκαῖα λέγειν.* Sed v. Seidlerum ad Euripidis El. 429.

813. *μαρτύρομαι τούσδ', οὐ σέ· πρὸς δὲ τοὺς φίλους οἷ' ἀνταμείβει ῥήματ', ἤν σ' ἕλω ποτέ*] Perversum est, Creontem ad ea quae Oedipus dixerat respondere *μαρτύρομαι τούσδ', οὐ σέ,* quippe in rei natura positum est, ut iniuriam passi non eum qui intulit, sed qui testes iniuriae fuerunt, antestemur; ut quo consilio id disertim dicatur a Creonte, prorsus intelligi non possit. Reisigium praeterea verbi *ἀνταμείβεσθαι* constructio cum praepositione *πρός* advertit, quae admonitio Dindorfium movit ut locum iusto audacius refingeret in hunc modum:

μαρτύρομαι τούσδ', οὐχί σ', ὃς γνώσει φίλους
οἷ' ἀνταμείβει —

Nisi eximie fallor hoc dici debuit: antestor, non hosce quorum nomine tu te loqui dicis (tecum enim faciunt), apud amicos autem nostros, si te potitus fuero, quae tandem responsurus es! Proinde scribendum putavi:

μαρτύρομαι — τούσδ' οὐχί, πρὸς δὲ τοὺς φίλους
οἷ' ἀνταμείψει ῥήματ', ἤν σ' ἕλω ποτέ.

Post *μαρτύρομαι* quasi se recolligens (sentit enim se frustra chori fidem invocaturum esse) aliquantisper inhibet vocem. Obfuit viris doctis quod *τοὺς φίλους* de Creonte intelligebant, quum Thebanos dici apertum sit. cf. 850. Aposiopesin, quam scholiasta praeeunte vulgo post *ποτέ* interpretes statuunt, recte Dindorfius reiecit.

816. *κἄνευ τοῦδε*] Vulgo *τῶνδε.* correxit Musgravius, legitque ita scholiasta *καὶ χωρὶς τοῦ λαβεῖν σε εἰς Θήβας.* De sequentibus verbis *λυπηθεὶς ἔσει* vide quae infra ad Trach. 1113. dicta sunt.

820. *ὤμοι;*] Addidi interiectionem in libris omissam, ne violaretur lex constanter ab Aeschylo et Sophocle in diverbiis servata, *ὤμοι* ceterasque huius generis interiectiones, nisi ubi cum pluribus verbis coniunctae sunt, extra versus mensuram ponentibus. Idem vitium ex Aeschyli Prom. 980. tollendum erat, de quo dictum est in Philolog. Gott. XIX p. 233. Euripides an eandem legem sequutus sit non satis mihi constat. Repugnat certe Suppl. 303 (291) *αἰαῖ· — τὰ τούτων οὐχί σοι στενακτέον.*

821. *τήνδε τ'*] Ante Hermannum *τήνδε γ'*.

825. *οὔτε γὰρ τανῦν δίκαια πράσσεις*] An *δίκαι' ἃ πράσσεις*? ut hic sit ordo verborum *οὔτε γὰρ νῦν ἃ πράσσεις δίκαιά ἐστι*, quibus iam paulo inferuntur concinnius sequentia *οὔθ' ἃ πρόσθεν εἴργασαι*. Sed hanc ipsam concinnitatem fortasse consulto poeta neglexit.

837. *μαχεῖ — πημανεῖς*] Ante Porsonum *μάχῃ — πημαίνεις*.

838. *οὐκ ἠγόρευον ταῦτ' ἐγώ*] Haec choro tribuebantur. correxit Mudgius. In sequentibus 838—841. personarum vices vulgo mirifice turbatas recte disposuit Wunderus. V. Dindorfium.

841. 42. *πρόβαθ'*] Vulgo *προβᾶθ'*, correxit accentum Nauckius. mox *ἔντοποι* Brunckius, libri *ἐντόπιοι*.

842. *πόλις ἐναίρεται, πόλις ἐμά, σθένει πρόβαθ' ὧδέ μοι*] Multum negotii creavit criticis illud *σθένει*, quod alii praeeunte scholiasta cum *ἐναίρεται* coniungunt et pro *βίᾳ* dictum statuunt, alii cum *πρόβατε* copulant et in hunc sensum accipiunt, ut Colonenses cum magna copiarum vi (*mit Uebermacht*) adesse iubeantur. Neutra ratio recte procedit, peior tamen altera, quae ne in mentem quidem cuiquam venire debebat. Priorem Dindorfius adoptavit, sed ut *σθένει* per *robur* explicandum

diceret, quod ne ipsum quidem me intelligere fateor. Enimvero mendosus est locus, scribendumque erat:

πόλις ἐναίρεται, πόλις ἐμὰ 'σθενεῖ,

sive id disiunctim scribere malis ἐμὰ ἀσθενεῖ. Invalidam suam esse civitatem dicit nec solam per se sufficientem ad repellendas Creontis iniurias, quare iterat chorus πρόβαθ' ὧδέ μοι, quae verba Hermannus summa iniuria poetae subtraxit.

840. σοὶ δ' ἔγωγ' ὁδοιπορεῖν] Antigonae haec Creontem dicere monuit Hermannus.

844. ἀφέλκομαι] Ita Triclinius pro ἀφέλκομ' ὦ.

850. πατρίδα τε] τε a Triclinio additum.

861. λέγεις ὡς] ὡς addidit Triclinius; Laur. λέγοις, unde Hermannus λέγοις ἂν coniecit, quod verum videtur. vanae sunt novitiorum criticorum coniecturae.

858. πόλει] Thebas intelligit scholiasta, incertum suone an scribarum vitio, Θήβας et Ἀθήνας frequenti errore permutantium.

865. τῆς] Libri γῆς, correcti in edit. Lond. a 1747.

866. ψιλὸν ὄμμ' ἀποσπάσας] Nondum vidi qui ψιλὸν ὄμμα ita explicuerit ut satis faceret. Reisigii et Fritzschii interpretationes merito reiecit Hermannus, ipse ὄμμα sic ψιλὸν dici existimans, ut respiciatur ad veros oculos Oedipi, quos quum sibi effodisset, *nudum et solum* ei oculum relictam esse Antigonam. Hoc si voluisset Sophocles, μοῦνον potius quam ψιλὸν ὄμμα eum dicturum fuisse crediderim. Vide igitur ne mendosus sit locus, Sophocles antem φίλιον ὄμμα scripserit.

868. σέ τ' αὐτόν] Vulgo σε καὐτόν. Libri fere σε χ' αὐτόν. Emendavit Brunckius.

870. γηράναι ποτέ] Sic Dindorfius edidit pro γηρᾶναί ποτε, quod quibus argumentis ductus Nauckius revocandum cen-

suerit, non indicavit. Interim acquievi in iis quae G. Dindorfius ad Stephani Thes. v. γηράσκω disputavit.

875. χρόνῳ βραδύς] In Laur. superscriptum est γηρῶν βαρύς, quod Dindorfio ex γήρᾳ βαρύς corruptum videtur. Crediderim potius γηρῶν glossatoris esse verba γήρᾳ βραδύς interpretantis, βαρύς autem variam lectionem esse pro βραδύς.

879. νεμῶ] Sic correctum (pro νέμω) ex scholiasta, qui νομιῶ interpretatur. DINDORFIUS.

882. Lacunam ab Hermanno animadversam vere, opinor, supplevit Spengel, σαφῶς ἐγῷδα excidisse ratus. Statim Laur. Ζεῦστ' ἄν, quod Ζεύς γ' ἂν scribendum coniecit Engerus.

885. πέραν περῶσ' οἵδε δή] Libri πέραν περῶσι δή. correxit Elmsleius, quod cur Hermannus languere dicat non assequor. Recte vero οἵδε dictum est; quippe digito monstrant puellarum raptores, quos iam ultra terminos aufugere dicit chorus. De aliorum coniecturis tacere praestat.

890. ἢ καθ' ἡδονὴν ποδός] Male scholiasta ταχύτερον ἢ ὡς ἔδει βαδίζειν, sed non melius Nauckius ἐμοί pro ποδός coniciens, quod Sophocles certo non scripsit. cf. ad v. 307. Ceterum scholiastam non ἔδει, sed ἡδύ scripsisse opinor.

899. θυμάτων ἄπο] Non credo Sophoclem bis scripsisse ἀπό diversa potestate positum in verbis tam contiguis, quum potuerit θυμάτων πάρα. Nihil harum praepositionum permutatione frequentius.

906. οὐ μεθῆκ' ἄν] Ita margo Laur. qui in textu οὐκ ἀφῆκ' ἄν habet.

907. οὕσπερ] Libri ὥσπερ. correxit Reiskius.

911. οὔτ' ἐμοῦ] οὔτε μου Laur. οὔτε σοῦ Nauckius, quod recipiendum duxi.

912. *οὔϑ' ὢν πέφυκας αὐτός*] Sine vi h. l. positum est *αὐτός*, cui Nauckius *υἱός* substituit. Non credo hoc tragicae dictioni convenienter dictum esse; nec obstat Oed. Tyr. 459. *ἐξ ἧς ἔφυ γυναικὸς υἱὸς καὶ πόσις*, ubi necessarium erat adici *υἱός*. Omnino vehementer dubito num Theseus parentes Creontis commemorare voluerit. Scribendum putavi *οὔϑ' ὧν πέφυκας ἀστός*, *quorum tu civis natus es.*

914. *κἄνευ νόμου κραίνουσαν οὐδέν*] Pro *κραίνουσαν* scribendum videtur *κρίνουσαν*. Vide ad vs. 721.

935. *βίᾳ τε κοὐχ ἑκών*] Aeschylus Prom. 989. *παῖς τε κἄτι τοῦδ' ἀνούστερος*. Sophocles Athenaei III. p. 122 c. *πρὸς χάριν τε κοὐ βίᾳ*. cf. Hermannum ad El. 873.

936. *τῷ νῷ ϑ' ὁμοίως κἀπὸ τῆς γλώσσης λέγω*] Assentior *τῷ νῷ λέγειν* graece dici negantibus, non assentior *νοῦ ϑ' ὁμοίως* coniectantibus. Antiquam horum verborum scripturam fuisse suspicor *TONO*, quod qui postea novitiam scribendi rationem induxerunt, *τῷ νῷ* legebant, quum debuissent *τοῦ νοῦ*. Notissimum hoc dicendi genus est, quo praepositiones alteri demum substantivo adduntur. Oed. Tyr. 734. *σχιστὴ δ' ὁδὸς ἐς ταὐτὸ Δελφῶν κἀπὸ Δαυλίας ἄγει*. Fragm. Aegei apud Polluc. X, 160. *πλευρὰ καὶ κατὰ ῥάχιν ἤλαυνε παίων*. Sed quid exemplis opus?

938. *δρῶν δ' ἐφευρίσκει κακά*] Scio hoc defendi posse; nihilominus Sophoclem scripssisse puto *κακός*, praesertim quum *ος* et *α* in codd. vix dignosci possint.

939. *λέγω*] Vulgo *λέγων*. Laur. *λέγω*, quod revocandum esse perspexit Spengel.

945. *κἄναγνον*] Laur. *κἄνανδρον*. Tum *δεξοίατ'* Elmsleius; libri *δεξαίατ'*.

946. *τέκνων*] Credo verum vidisse Reiskium *τέκνῳ* corri-

genti, i. e. ὅτῳ τέκνῳ ὄντι γάμοι ἀνόσιοι ξυνῆσαν, *qui incestum cum matre, cuius ipse filius esset, matrimonium inierat.*

948. ξυνῄδη] Ante Brunckium ξυνῄδειν. Tum χθόνιον, quod Bergkius χρόνιον scribi voluit, apertum est poetam dixisse pro ἐγχώριον, ut recte interpretatur scholiasta.

966. καθ' αὑτόν] Huc referam grammatici adnotationem apud Bekkerum Anecd. p. 28, 27. Αὑτόν· Σοφοκλῆς ἀντὶ τοῦ ἐμαυτόν. Dele igitur Fragm. 920.

977. πῶς ἂν] Ita Elmsleius pro πῶς γ' ἄν. Alius vir doctus πῶς τἂν malebat.

986. δυσστομεῖν] Ante Brunckium scribebatur δυστομεῖν.

987. ἄκων τ'] Vulgo ἄκων. Illud ex duobus apogr. restitui.

989. ἐμφορεῖς] Laur. ἐμφερεῖς cum o super secundo ε. L. Dindorfius ἀμφέρεις in Thesauro v. ἀναφέρω.

999. ἐμοί] ἔχειν probabiliter Nauckius coniecit.

1007. τιμαῖς] Ante Turnebum τιμάς. Laur. τιμᾶς in τιμὰς correctum.

1011. κατασκήπτω λιταῖς] Sane hoc singulariter dictum est pro *fatigare* vel *obtundere precibus*, sed tamen ut nihil mutandum credam, minime omnium tam audaci coniectura, qualis Nauckio placuit, totum versum eliminanti et sequente versu scribenti ἐλθεῖν ἀρῶμαι ξυμμάχους.

1012. ξυμμάχους θ'] θ' ex uno libro Par. addendum vidit Reisigius, quem Hermannus et Dindorfius sequuti sunt.

1015. ἀμυναθεῖν] Ante Elmsleium ἀμυνάθειν.

1016. ἐξειργασμένοι] Libri ἐξηρπασμένοι; recepi quamvis dubitanter F. G. Schmidtii coniecturam.

1019. ὁδοῦ κατάρχειν τῆς ἐκεῖ] Hoc non est pro τῆς ἐκεῖσε positum, ut existimant viri docti, sed pro τῆς ἐκείνης,

illam nobis praei viam, quam raptores instituere. Ibid. *πομπὸν δέ με χωρεῖν*] *δέ μοι* Heathius, quod ut ad structuram verborum vulgato commodius, scite tamen editum defendit Dindorfius.

1021. *τὰς παῖδας ἡμῶν*] *τὰς παῖδας ἑλὼν* Hermannus, *τὰς τοῦδε παῖδας* Dindorfius, *τὰς παῖδας, ἡμῖν — μολὼν* vel *ἄγων* Bergkius. Sufficit *τὰς παῖδας ἡμῖν*, ut voluit iam Elmsleius.

1023. *ἄλλοι γὰρ οἱ σπεύδοντες*] Forsan praestat scribere *σπεύσοντες*.

1024. *ἐπεύξωνται*] Laur. *ἐπεύχονται*, *ἐπεύξωνται* e scholiasta et duobus apogr. restitutum est.

1025. *εἷλε θηρῶνθ᾽*] Suspiceris *εἷλεν αἱροῦνθ᾽*, ut praecedente versu habes *ἔχων ἔχει*. Notum est proverbium *αἱροῦντες ᾑρήμεσθα*, a cuius usitata forma non credo Sophoclem declinasse. V. Zenobius I. 34. Aeschylus Agam. 340. *ἑλόντες ἀνθαλοῖεν*. Eurip. Alc. 1065. *μή μ᾽ ἕλῃς ᾑρημένον*. Horatius Ep. II, 1, 156. *Graecia capta ferum victorem cepit.* Ibid. *τύχῃ*] Probabiliter Doederlinus *Δίκῃ* coniecit.

1036. *οὐδὲν σὺ — ἐρεῖς ἐμοί*] Nescio quis *οὐδέν τι — ἐρῶ σ᾽ ἔπος*.

1045. *ἐπιστροφαί*] Schol. *αἱ συμβολαὶ καὶ αἱ μάχαι*. Recte explicant Musgravius et Hermannus, nec audiendi qui *συστροφαί* coniecere.

1048. *πρὸς Πυθίαις ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς*] Quum Pythium non in ipso maris litore situm fuerit, suspicari possis poetam *ἄκραις* scripsisse, quod commode et ad Eleusinia templa et ad Pythium, in alto haud dubie situm, referri potest. Sed recte scholiasta *ἀπὸ κοινοῦ τὸ ἀκταῖς ληπτέον*. In *λαμπάσι*, quod suapte natura adiectivum est, non erat cur offenderetur.

1050. *σεμνὰ*] Ante Valckenarium *σεμναί*.

1052. *κλῇς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακε*] Haec quamvis recte ab Hermanno explicata, Schneidewinus ita interpretatur ut initiandorum ori clavem impositam fuisse diceret, quod ridiculum figmentum est. Ceterum *κληῖδας σιωπῆς* ex hoc Sophoclis loco sumpsit scriptor oraculi apud Eusebium P. E. V, 16. *ἤδη γὰρ δολιχοῖσιν ἀμαυρωθεῖσα χρόνοισι βέβληται* (i. e. *ἀποβέβληται*) *κληῖδας ἀμαντεύτοιο σιωπῆς*.

1054. *ἐγρεμάχαν*] Schol. *γρ. ὀρειοβάταν*. Liber Par. *ὀρειβάταν*, quod ut metro convenientius quam *ἐγρεμάχαν* recipiendum videtur.

1055. *Θησέα καὶ τὰς διστόλους*] Vindicavit haec a criticorum coniecturis Spengelius, *καὶ etiam* esse admonens. In *διστόλους* Laur. *α* supra *δι* habet, i. e. *ἀστόλους*, quod probavit Bergkius. *διστόλους* dixit poeta pro *δισσάς*, ut *μονόζωστος* et *οἰόζωνος* dicitur pro *μόνος* et *οἶος*.

1056. *ἀδελφεάς*] Vulgo *ἀδελφάς*. illud reposuit ex pluribus libris Hermannus. Laur. *ἀδελ*$^{\varepsilon}$*φάς*. V. Seidlerum ad Eurip. El. 134.

1057. *αὐταρκεῖ*] Forsan scribendum est *ἀνταρκεῖ*. Dindorfius coniecit *πανταρκεῖ*.

1059. *ἤ που τὸν ἐφέσπερον πέτρας νιφάδος*] Ante Hermannum, sive potius, de quo Spengelius admonuit, ante H. Stephanum, scribebatur *ἢ που* cum interrogatione. Ad *ἐφέσπερον* (Laur. *ἐφ' ἕσπερον*) ex praecedentibus *χῶρον* assumendum esse animadvertit scholiastes. Apertum est designari viam, quae occidentalem *τῆς νιφάδος πέτρας* partem stringebat. De situ huius petrae nihil constat nisi eam, ipso poeta indicante, ad Oeam pagum pertinuisse, qui circa borealem partem montis Aegilei, longo tractu, si Leakii tabulae fides est, in mediam fere

Atticam proiecti, situs fuisse videtur. Mirum autem est in his regionibus montem commemorari perpetua nive tectum. Iam si verum est, quod scholiastes affirmat, nivalem hunc scopulum non diversum fuisse a λείᾳ πέτρᾳ ab Istro commemorata, non absurde suspiceris, in νιφάδος latere adiectivum eandem cum λεία potestatem habens. λεία πέτρα, non secus ac λίς λισσή λισσάς, saxum dicitur praeceps et abruptum, unde a grammaticis per ὑψηλή et ἀπότομος explicatur. Itaque quaerere licebit an forte λιχάδος poeta scripserit, quo nomine talem scopulum significari, praeter Hesychium Λιχάς· (πέτρα) ἀπότομος, docet scopulus ille maris Euboici ab Herculis comite Licha, ut fabulabantur, appellatus, de quo Ovidius Metam. IX, 226. haec habet *Lichas scopulus brevis — eminet humanae referens vestigia formae.* Eodem pertinet Lichadum insularum in Aegaeo sitarum nomen apud Strab. I p. 60. IX p. 426. et Plinium N. H. IV, 4, 62.

1061. *Οἰάτιδος ἐκ νομοῦ*] De Oea demo haec intelligenda esse male negat is cuius in Sophoclem commentariis usus est Hesychius in hac glossa *Οἰάτιδος ἐκ νομοῦ: Σοφοκλῆς Οἰδίποδι ἐπὶ Κολωνῷ. τῆς προβατευομένης, ἐκ νεμήσεως. οἱ δὲ ἀπ' Οἴης τοῦ δήμου, κακῶς· οὐ γὰρ ἐγγὺς κεῖται.* Qua in glossa γῆς προβατευομένης scribendum, quod dictum est ut γῆ ἀροτριωμένη, γῆ πεφυτευμένη, alia. Didymus igitur (hunc enim Hesychius auctorem sequutus esse videtur) οἰᾶτις intellexit de tractu terrae ovium pascuis frequente, non memor id οἰίτιδος vel ὀίτιδος dicendum fuisse. Verba ἐκ νομοῦ, quae quicquid agas omnem interpretandi conatum eludunt, vetus mihi glossema esse videntur, quo ipsum illud quod grammaticus volebat, scilicet οἰᾶτις ad ovium pascua referendum esse, indicaretur. Idem plane sensus est verborum ἐκ νεμήσεως in glossa Hesychii. Scholiastae commentum Νομὸς Ἀττικοῦ χωρίον οὕτω

οὕτω καλουμένου nomen fuisse ariolantis verbo tetigisse sufficiat.

1065. *ἁλώσεται*] Hinc, opinor, fluxit glossa Hesychii: *Ἁλώσεται· ληφθήσεται,* [*κατα*]*πολεμηθήσεται.*

1068. *κατ' ἀμπυκτήρια*] Verum vidisse puto Hermannum *χαλῶσ' ἀμπυκτήρια* emendantem, sed poterat etiam lenius *χαλᾷ τ' ἀμπυκτήρια.* Dindorfius edidit *κατὰ ἀμπυκτήρι'.*

1069. *ἀμπυκτήρια πώλων*] Quod in libris post *ἀμπυκτήρια* legitur *φάλαρα*, delendum esse vidit Hermannus allata glossa Hesychii *Ἀμπυκτήρια· τὰ φάλαρα. Σοφοκλῆς Οἰδίποδι ἐν Κολωνῷ.* Dindorfius etiam *πώλων* delevit, post *ἀμπυκτήρι'* choriambicae mensurae vocabulum excidisse ratus. Recte Hermannum *ἀμπυκτήρια πωλικὰ* scripsisse puto, quod qui intolerabile esse dicit Nauckius, non docuit tamen quid vitiosi habeat *πωλικὴ ἄμβασις.*

1074. *ἔρδουσ'*] Ante Steinhartum invitis numeris legebatur *ἔρδουσιν.* Dindorfius edidit

ἔρδουσιν ἢ μέλλουσ';
ὡς προμνᾶταί τι μοι,

quibus non consilio, opinor, sed casu opposuit

ἰὼ πάνταρχε θεῶν,
παντόπτα Ζεῦ, πόροις.

1075. *προμνᾶται — ἐνδώσειν*] Utrumque nove dictum est, alterum pro *praesagire*, alterum pro *cessare.* Talia notanda sunt, nec corrigenda nisi lenissima reperiatur et probabilis emendandi ratio, quam laudem Nauckii de hoc loco coniecturis non tribuerim. *ἐνδώσειν* Elmsleius pro *ἂν δώσειν* e scholiis restituit.

1077. *τᾶν — τλασᾶν — εὑρουσᾶν*] Hoc etiam Elmsleius e scholiis posuit pro *τὰν — τλᾶσαν — εὑροῦσαν.*

1078. *αὐθαίμων*] Libri *αὐθομαίμων.* correxit Bothius.

1083. *αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμ' αὐτῶν δ' ἀγώνων*] Haec codicum scriptura est, quam assumta Wunderi coniectura *κύρσαιμι τῶνδ'* ita emendavi, *αἰθερία 'κ νεφέλας κύρσαιμι τῶνδ' ἀγώνων*, *utinam aetheria columba ex nubibus testis fiam huius certaminis.* praepositionem addi necessarium erat, ne *αἰθερίας νεφέλας* a *κύρσαιμι* pendere videretur.

1084. *ἐρωήσασα τοὐμὸν οἶμα*] Ita corrigere ausus sum librorum scripturam *θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα.* Habes columbae imaginem rapido volatu in altos nubium tractus tendentis ibique impetum suum sistentis, ut ex alto certamen spectet. Verbum *ἐρωέω*, *inhibendi* vel *sistendi* sensu dictum habet Homerus Il. *ν'*, 57. *ἐσσύμενον περ ἐρωήσαιτ' ἀπὸ νηῶν*, et Theocritus XX, 174. *χεῖρας ἐρωήσουσιν ἀποσχομένω πολέμοιο.* Ad *οἶμα* comparandum *αἰετοῦ οἴματ' ἔχων* Hom. Il. *φ'*, 252. Plerique praeeunte Wundero scripserunt *ἐώρησασα τοὐμὸν ὄμμα.* Atqui *ἐωρεῖν* nullius fidei forma est; nec qui ex alto pugnam contemplatur, attollere oculos dici potest. Non felicius alii *θέᾳ πλήσασα* vel *θέᾳ τέρψασα τοὐμὸν ὄμμα* scripserunt, ut mittam, aoristo nullum hic esse locum. De *ἐωρέω* quod dixi verum esse docebit accurata locorum, quibus haec forma confirmari videtur, crisis. In Oed. R. 1264. veram scripturam Nauckius restituit. Nec Eustathium ad Hom. p. 389, 4. utramque formam agnoscentem sequi debebat Valckenarius ad Adon. p. 243. Hesychii autem glossae *ἐωρηθήτω, ἐωρίζεται, ἐωρούμενος* stulto glossatoris errori debentur.

1086. *παντόπτα, πόροις*] Scripsi *παντόπτ', ὦ πόροις.*

1089. *σθένει 'πινικείῳ*] Libri *ἐπινικείῳ* (*ἐπινικίῳ*) *σθένει.* transposuit Hermannus.

1096. *τῷ σκοπῷ*] Usus loquendi postulat *τὸν σκοπόν.* nimirum *ΤΟΝ ΣΚΟΠΟΝ* facili errore abiit in *ΤΟΙ ΣΚΟΠΟΙ.*

1098. *προσπολουμένας*] Bergkius *προσπωλουμένας*, *accedentes cum comitatu famulorum* explicat Dindorfius. Optime sensui conveniret *προσπορευμένας* i. e. *προσπορευομένας*, ut *ἀλεύμενος* pro *ἀλευόμενος* dixit Archilochus. Dubito tamen.

1109. *γε*] Ante Reiskium *τε*.

1110. *οὐδ' ἔτ' ἂν*] *οὐδ' ὅταν* Laur.

1111. *θανών*] Merito suspectat Nauckius. Ibid. *παρεστώσαιν*] Praestat fortasse *παρεστώτοιν*, ut voluit Dindorfius.

1112. *ἐμφύντε*] Ita Mudgius, Laur. *ἐμφύτε*, quod etiam in uno apogr. est, aliis *ἐμφῦτε* et *ἐμφῦσα* praebentibus.

1114. *τοῦδε δυστήνου*] Fuit qui *τόνδε δύστηνον* mallet.

1116. *ταῖς τηλικαῖσδε*] Expectabam *ταῖν τηλικαῖνδε*, casu genetivo.

1118. *καί σοί γε — εἴρηται βραχύ*] Vulgo *καί σοί τε — ἔσται βραχύ*. Emendavit Spengelius, quem vide.

1121. *τὴν*] Ante Musgravium *σήν*.

1124. *πόροιεν ὡς ἐγὼ θέλω*] Hoc defendi non potest exemplis, qualia congessit Matthiae Gramm. § 485. nec dubitarem reponere *οἷ' ἐγώ*, ut est apud Eurip. Hel. 1405, *θεοὶ δέ σοί τε δοῖεν οἷ' ἐγὼ θέλω*, nisi in Laur. scriptum esset *πο-*
οι
ρεῖεν, *οι* a m. s. superscripto. hinc dedi *παρεῖεν ὡς ἐγὼ θέλω*. cfr. Oed. Tyr. 251 *ὑμῖν — οἱ πάντες εὖ ξυνεῖεν αἰὲν οἱ θεοί*.

1131. *τ' εἰ*] Laur. *τ' ᾗ*, apogr. partim *τ' εἰ* partim *θ' ᾗ*.

1132. *πῶς δ'*] Hermannus *πῶς σ'* edidit et 1133. *ᾧ τίς* pro *ᾧ τις*, idemque praeter alios sequutus est Dindorfius.

1141. *οὔτ'*] Ante Elmsleium *οὐδ'*.

1148. *ἀγὼν ἠρέθη*] Ante Heathium *ἀγὼν οὗτος ἠρέθη*. Nauckius malebat *ἄγων ἠρέθη*, quod incommodum est propter 1146. *πάρειμ' ἄγων*. Non sine offensione tamen est *αἱρεῖν*

ἀγῶνα pro eo quod sane non infrequens est *καθαιρεῖν ἀγῶνα, conficere certamen.* Itaque nisi hic quoque Sophocles a communi usu descivit, conicere possis *αἱρῶν ᾑρέθη*, quod pro *ὁ αἱρῶν* dictum paulo aliter sonabat in ore graeco quam *αἱρῶν* sine articulo. Nisi potius *οὗτος*, i. e. Creon, qui captus in pugna una cum puellis redierat, servandum est, *ἀγὼν* autem, quod glossator ad *οὗτος* male a se intellectum adscripserit, delendum. Ac captum iri Creontem praesagit chorus vs. 1065. Et unde *οὗτος* natum dicamus?

1153. *ἄνθρωπον*] Libri *ἀνθρώπων* ex scholiis correcti.

1164. *μολόντ'*] Vauvillersius *μόνον*. Versu sq. *τε* post *ἀπελθεῖν* addidit Heathius.

1169. *φίλτατε σχές*] Ante Heathium *φίλτατ' ἔσχες*.

1187. *κακῶς*] Libri *καλῶς* ab Hermanno correcti.

1189—91. Horum versuum fidem non unam ob causam suspectam habeo, eosque a pinguis ingenii orisque histrione potius quam a Sophocle, h. e. ab eo factos esse arbitror, qui optime omnium quid aptum ubique esset callebat. Primum illud *ἔφυσας αὐτὸν* abruptius infertur praecedentibus, quibus admonuerat patrem Antigona, posse eum nullo suo cum periculo filium audire. Itaque quum iam novum argumentum afferat, hoc fere transitu uti debebat ‚praeterea hoc tibi reputandum, tuum Polynicem esse filium'. Quid vero est quod Antigona a patre expetit? nempe patienter ut ferat quicquid iniuriarum ei Polynices illaturus sit. Hoc profecto plus est, quam quod a patre postulari poterat, ne commemorem banc sententiam a totius orationis consilio esse alienissimam. Praeterea absurdum dicendi genus est *τὰ τῶν κακίστων δυσσεβέστατα*, quod quum rem inepte augeat, an Sopbocles pro suo agnoscere voluerit, vehementer dubito.

1189. *μηδὲ*] Ante Brunckium *μήτε*.

1190. *δυσσεβέστατ' ὦ*] Dawesii haec correctio est pro *δυσσεβεστάτων*.

1192. *ἀλλ' ἔασον*] Ita anonymus correxit vulgatum *ἀλλ' αὐτόν*. Wunderus tentabat *ἀλλ' ἔα νιν*, quod Hermannus sequutus est. Musgravius *ἀλλ' εἶξον*, quod non displicuit Nauckio. Mihi nihil horum omnium probandum videtur latetque sine dubio aliud quid. Fortasse scribendum est *ἀλλ' ἄισον*, quod aptissime infertur iis quae Antigona v. 1187. dixerat *λόγων δ' ἀκοῦσαι τίς βλάβη;* Eundem imperativum recte restituisse mihi videor Callimacho p. 227. fortasse etiam Sophocli in hac ipsa fabula v. 1498. Mensuram primae syllabae verbi *ἀίω* ancipitem esse constat, quae quod in trimetris alias apud Sophoclem producitur, id hanc causam habet, quod aliter verbum hoc iambicis numeris aptari vix poterat. In iambica dochmiaci pedis parte corripitur apud Aeschylum Suppl. 758. *κυνοθρασεῖς θεῶν ἐπαΐοντες οὐδέν*. Sic enim legendum esse alio loco ostendi.

1194. *ἐξεπᾴδονται φύσιν*] Inani lusu tentatum est *ἐκμαλάσσονται φρένας*. Hoc dicitur, amicorum alloquiis tanquam incantamentis ipsam naturam immutari.

1195. *εἰς ἐκεῖνα, μὴ τὰ νῦν*] Probabili coniectura Camerarius *εἰς ἐκεῖνά μοι τὰ νῦν*.

1197. *λεύσσῃς*] Ante Piersonum *λύσῃς*.

1199. *οὐχὶ βαιά*] Ante Musgravium *οὐ βίαια*. Laur. aliique *οὐχὶ βίαια*.

1209. *σὺ δὲ σῶν ἴσθ'*] Scaliger *σὺ δὲ σῶς ἴσθ'*, Schneidewinus *σὺ δὲ σῶν σ' ἴσθ'*, cuius structurae defendendae caussa quae exempla afferuntur nihil probant, Trach. 706. *ὁρῶ δέ μ' ἔργον δεινὸν ἐξειργασμένην* et Ai. 605. *ἐλπίδ' ἔχω μέ ποτ' ἀνύσειν*. Quae ne potuerunt quidem aliter dici: nemo autem unquam nisi qui soloecismos amat dixit *οἶδά με σῶν* pro

οἶδα σῶς ὤν. Id qui sensit Dindorfius, edidit *σὺ δ' ὢν σῶς ἴσθι*, quod recepi, quamquam displicet *ὢν σῶς* dictum pro *σῶς ὤν*. Si altius subest vitium, conicere possis *σὲ δὲ σῶν οἶδ' ἐάνπερ*, vel *σὺ δὲ σῶς ὢν κάτισθ', ἤν κἀμέ τις σώζῃ θεῶν*. Bergkius, quum in Laur. super *σὺ δὲ* a correctore *δε σε* scriptum sit, edidit *κομπεῖν δ' οὐχί, βούλομαι δέ σε σῶν, ἴσθ', ἐάνπερ* —

1220. *τοῦ θέλοντος· ὁ δ' ἐπίκουρος*] Reiskius *τοῦ δέοντος*, quod recepi. Pro *ὁ δ'* ante Hermannum legebatur *οὐδ'*.

1221. 22. *Ἄιδος ὅτε μοῖρ' ἀνυμέναιος ἄλυρος ἄχορος ἀναπέφηνε*] Martinus mutato verborum ordine suspicatur: *ἄλυρος ἄχορος ἀνυμέναιος Μοῖρ' ὅτ' Ἄιδος ἀναπέφηνε*. Quae tanto certior videri potest emendatio, quum hoc carmen ex eorum genere sit, in quo accuratissima regnat numerorum concinnitas, a qua nusquam recessit poeta nisi in basi glyconeorum. Sed vide ne consulto poeta responsionis severitati renunciaverit, cuius rei causa quaerentem non latebit.

1230. *κούφας-φέρον*] Laur. *κοῦφας-φέρων*. V. Spengelium.

1231. *τίς πλάγχθη πολύμοχθος ἔξω;*] Bergkius pro *τίς* edidit *αἷς*, commate post *ἔξω* distinguens. Qui Gorgianum orationis formandae schema h. l. agnovit Spengelius, scripsit *πολὺ μόχθος*. at *πολὺ* languet, pro quo melius, opinor, scripsisset *ποτέ*. Aliorum huius loci expediendi conatus silentio transmittere licebit.

1234. *φόνοι στάσεις ἔρις μάχαι*] Fortasse *φόνος* cum chiasmi figura. 1239. post *μόνος* plene distinxi.

1242. *ὥς*] Ante Brunckium *ώς*.

1248. *δ' ἐννυχιᾶν*] Vulgo *δὲ νυχιᾶν*. correxit Lachmannus firmante scholiasta.

1250. *ἀνδρῶν γε μοῦνος*] Recte hoc dicendi genus suspectant viri docti. Totum versum damnant Dindorfius et Nauckius.

1260. *πίνος*] Ante Scaligerum *πόνος*.

1261. *κόμη — ἀκτένιστος ᾄσσεται*] Falluntur qui hanc descriptionem esse personae *σπαρτοπολίου* existimant. Quo nomine quam personae speciem designaverint Graeci ostendi addendis ad Comicorum Fragm. vol. V p. 109. cf. quae infra ad Oedip. Tyr. 742. dicta sunt.

1262. *φορεῖ*] Scripsi *φέρει*, *accipit*, et sic liber Ven.

1263. *κάκιστος — ἥκειν*] Non *ἥκειν* scripsisse Sophocles videtur, sed *οἰκεῖν*. V. ad Oedipum Tyr. 586.

1266. *τἄλλα*] Reiskius aliique *τἀμά*, quod non sufficere ostendit Spengel, qui ipse conicit *ἄλλα* hoc sensu, ***ne alia post alia comperias.*** Interim tamen Reiskium sequutus sum.

1270. *προσφορά*] Occurrit his verbis sollicitudini, qua premi posse Oedipum suspicatur, ne nova mala a filio sibi accedant. Ita haec recte interpretatur Iacobsius, nec opus esse videtur correctione.

1273. *σὺ δ' ἀνταμείβει*] Non bene mea quidem sententia legebatur *οὐδ' ἀνταμείβει*, quod parum concinne praecedentibus infertur.

1274. *μηνίεις*] Laur. *μηνιεῖς*. voluit opinor *μηνιᾷς*, quam pessimi commatis formam saepe librarii genuinae suffecerunt.

1276. *δυσπρόσοιστον*] Cave corrigas *δυσπρόσωπον*. Difficilis aditu et intractabilis h. l. dici debuit Oedipus, non adspectu foedus.

1279. *οὕτως ἀφῇ με*] Ante Dindorfium *οὕτως μ' ἀφῇ γε*.

1281. *τέρψαντα*] Hoc si corruptum est, fortasse *στέρξαντα* scribendum est. Sed nihil mutandum est.

1282. *δυσχεράναντ᾽ ἢ κατοικτίσαντα*] Non recte haec Brunckius transitivo sensu dicta statuit, *molestiam vel misericordiam moventia.* Imo ipsa verba, quae quis loquitur, *δυσχεραίνειν* et *κατοικτίζειν* dicuntur, cuius figurae frequentia exempla sunt. Cf. v. 74. *ἅπανθ᾽ ὁρῶντα λέξομεν.*

1289. *βουλήσομαι*] Notandus hic futuri usus. Cf. Oed. Tyr. 1077. *τοὐμὸν δ᾽ ἐγὼ κεἰ σμικρόν ἐστι, σπέρμ᾽ ἰδεῖν βουλήσομαι.* Aiac. 681. *καὶ ταῦθ᾽ ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι.* Theophilus comicus apud schol. Dionysii Thracis p. 724. (Fragm. Com. III 626) *καί τοι τί φημι; καὶ τί δρᾶν βούλομαι;* Emendandum *βουλήσομαι*, non *βουλεύομαι.*

1294. *γεραιτέρᾳ*] Frustra *γεραίτερος* tentabat Nauckius.

1297. *οὐδ᾽*] Ante Hermannum *οὔτ᾽.*

1299. *Ἐρινύν*] Laur. *ἐρινῦν.*

1300. *κλύων*] Vulgo *κλύω.* Liber Par. et Ald. *κλύων*, probante Hermanno.

1310. *αὐτός τ᾽*] Ante Reiskium *αὐτός γ᾽.*

1311. *ἑπτὰ τάξεσιν*] Recepi elegantem et veram, ni fallor, emendationem Bergkii *ἑπτά τ᾽ ἀσπίσιν.* Vulgatam scripturam tuetur Dindorfius, *λόγχας* de ducibus interpretatus, quod num fieri possit dubito. Cf. ad Electr. 36.

1313. *δορυσσοῦς*] Ante Reisigium *δορύσσους.*

1314. *δόρει*] Ante Hermannum edebatur *δορί*, quod primus correxit Seidlerus ad Eurip. El. 429.

1328. *ἐξαιτούμενοι μῆνιν βαρεῖαν εἰκαθεῖν*] *Iram remittere.* Notanda haec verbi *εἰκαθεῖν* structura, cuius hoc unum exemplum. DINDORFIUS. Quidni *deprecantes iram ut cedat*? Pro *εἰκαθεῖν* ante Elmsleium erat *εἰκάθειν.*

1333. *πρός νύν σε κρηνῶν καὶ θεῶν ὁμογνίων*] Ineptae et inutiles sunt criticorum coniecturae. Verissime scholiasta: *πα-*

θητικόν ἐστι τὸ πρὸς πατρῴων κρηνῶν ὁρκοῦν, ὡς εἰ ἔφη, πρὸς τῶν ἐκθρεψάντων σε ὑδάτων. Nimirum ὁμογνίων simul ad κρηνῶν referendum est nec differt significatu a πατρῴων. Similiter v. 1385. de patria dictum est γῇ ἐμφύλιος. Apposite item Sophocles apud Schol. Pindari Pyth. IV, 221.

ὦ γῆ Φεραία, χαῖρε, σύγγονόν θ' ὕδωρ,
Ὑπέρεια κρήνη, νᾶμα θεοφιλέστατον.*)

ubi pro σύγγονον ὕδωρ eodem sensu ὁμόγνιον ὕδωρ dici potuisset. In transcursu monere liceat, vocem ὁμόγνιος certa coniectura restituendam videri in Sophoclis fragmento apud Stephanum Byz. p. 248 (n. 413 N.)

Δωδῶνι ναίων Ζεὺς ὁμίος βροτῶν.

Male id ὁμέστιος scripsit Tunellius. Corrigendum ὁμόγνιος βροτῶν, cll. Pindaro ἓν ἀνδρῶν ἓν θεῶν γένος, Arato Dios. 5. τοῦ (Διός) γὰρ καὶ γένος ἐσμέν et Aristotele de Mundo p. 401, 21. Ζεὺς γενέθλιός τε καὶ ἕρκειος καὶ ὁμόγνιος.

1334. παρεικαθεῖν] Ante Elmsleium παρεικάθειν.

1336. οἰκοῦμεν] Ne malis ἥκομεν vel simile quid, vide quae ad Oedip. R. 587. dicta sunt.

1337. ἐξειληχότες] Ita ex uno apographo editum, Laur. ceterique ἐξειληφότες.

1340. τήμῇ — φρενί] I. e. ἐμοί. Levi lusu Blaydesius pro φρενί coniecit χερί.

1346. Οἰδίπους] Ante Valckenarium Οἰδίπου.

1348. δημοῦχοι] Ita Laur. a m. pr. ut Reisigius coniecerat, vulgo δημοῦχος.

1351. οὔ τἂν] Ante Brunckium οὔτ' ἄν.

1357. στολὰς φορεῖν] Miror quod de ceteris exilii malis

*) Versus hos ex Enmelo fabula dnctos ipsiusque Enmeli ex Troia reversi et patriam salutantis esse suspicor.

tacens vestimentorum tantum sordes commemorat. Has dolebat quidem Polynices v. 1258. sed tamen sic ut totum exulis statum lacrimaret. Desidero igitur nomen omnes Oedipi miserias complectens, scribendumque opinor *τροφὰς φέρειν*. Sic enim, non *φορεῖν*, Laur. et maxima pars apogr. habet.

1358. *ἐν πόνῳ — κακῶν*] Reiskius *ἐν βυθῷ*, Bergkius *ἐν πότμῳ*, Martinus *ἐν κλόνῳ*, quibus omnibus praetuli quod mihi in mentem venit *ἐν κακῷ — πόνων*, cll. Ai. 1145. *ἐν κακῷ χειμῶνος*.

1360. *κλαυτὰ δ' ἐστὶν*] Sic duo apogr. pro *κλαυστά*.

1361. *ἔς περ*] Libri *ὥσπερ*, Reiskius *ἕωσπερ*. At *ἕως* Sophocli non est monosyllabum. Correxi igitur *ἔς περ*.

1370. *τοιγάρ σ' ὁ δαίμων εἰσορᾷ μὲν οὔ τί πω, ὡς αὐτίκ'*] Haec nondum inventus est qui vel emendaret vel probabiliter explicaret. Dobraeus tentabat *σε δαίμων — ὅς αὐτίκ'*, quem nemo sequetur. Intelligerem si scriptum esset *οὔ τι πω, ἀλλ' αὐτίκ'*.

1373. *ἐρείψεις*] Ante Turnebum *ἐρεῖ τις*.

1379. *ἐφύτην*] Ante Elmsleium *ἔφυτον*.

1381. *κρατοῦσιν*] Hartungius *κρανοῦσιν*.

1386. *δόρει*] Ante Hermannum *δορί*.

1389. *τὸ*] Ita Hermannus pro *τοῦ*.

1390. *στυγνὸν πατρῷον Ἔρεβος*] Quid sit *πατρῷον Ἔρεβος* nemo adhuc docuit; *patritam caliginem* interpretatur Reisigius, quod miror eum probavisse Hermanno. Non dubium est quin locus vitium traxerit. Sed quae a criticis coniecta sunt, vix digna sunt quae commemorentur. Melius ceteris commentis est quod Nauckius coniecit *κάτωθεν*, quamquam ne hoc quidem magnam probabilitatis speciem habet. Ipse *παλαιὸν* coniectabam, nec *πτερωτὸν* reicerem cll. Eurip. Alc. 261. *Ἅιδης πτε-*

ρωτός. Sed verum videtur quod reposui στυγνοπρόσωπον, quod formatum est ut σεμνοπρόσωπος. Originem erroris indicavi Symbolis crit. ad Antig. p. 49.

1394. καὶ πᾶσι Καδμείοισι τοῖς σαυτοῦ θ' ἅμα] Vel *omnibus* explicat Hermannus, quod non credo huius loci esse. τοῖς πᾶσι coniecit Nauckius. Possis etiam ἅπασι; sed editum tuetur fortasse allatus a Wundero locus Oed. Tyr. 347. καὶ ξυμφυτεῦσαι τοὔργον εἰργάσθαι τε. Quamquam hoc etiam aliter explicari potest. Neque trahendus huc locus in Aeschyli Sept. 773. θεοὶ (leg. ὅσοι) καὶ ξυνέστιοι πόλεος ὁ πολύβατός τ' ἀγών, ubi τέ post καὶ per anacoluthiam quandam illatum est.

1402. τινι] Ante Tyrwhittum τινα.

1404. συγκῦρσαι] Ante Hermannum συγκύρσαι.

1407. σφώ γ' ἐάν] Libri σφῶϊν γ' ἄν. Correxit Elmsleius.

1411—13. Non assentior totum hunc locum in corruptelae vel interpolationis suspicionem adducentibus; κομίζειν pro usitato κομίζεσθαι dictum est ad analogiam verbi φέρειν. In ceteris more suo poeta exquisitius dicendi genus sequutus est: quum enim dicere posset ‚cum vetere laude novam coniungetis', artificiosius haec ita eloquutus est ut ‚veterem laudem iis novam allaturam esse' diceret, in quo quid vituperandum sit non assequor. Neque dissimile est πόνος πόνῳ πόνον φέρει Ai. 866.

1416. ὡς τάχιστά γε] Incommoda est h. l. particula γε, quae recte quidem adverbio τάχιστα similibusque subiungitur in responsionibus, non autem ita ut h. l. factum est. Non magis unquam ὡς τάχος γε dictum est. Scripsi igitur τάχιστά σε, ut στρέψαι infinitivus sit, pendens ille ab ἱκετεύω v. 1413. Apud Aeschylum Agam. 1350. ἐμοὶ δ' ὅπως τάχιστά γ' ἐμπεσεῖν δοκεῖ καὶ πρᾶγμ' ἐλέγχειν, corrigendum τάχιστά τ' ἐμπεσεῖν.

1417. σέ τ'] Ante Brunckium σέ γ'.

1418. *αὖϑις ἄν*] Libri *αὖϑις αὖ*, emendavit Vauvilliersius.

1419. *ἄγοιμι ταυτὸν*] Si quid in his corruptum est, non *αγοιμ' εὔτακτον*, quod Nauckius coniecit, scripserim, sed quod ad sententiam haud paulo aptius, *ἄγοιμι τακτόν*, i. e. exercitum ad pugnam compositum. Ac fortasse respexit ad hunc ipsum locum Hesychius, cuius hae glossae sunt: *Τακτικοῖς· στρατιωτικοῖς, πολεμικοῖς. Τακτόν· ὁμοίως.* Idoneam tamen mutationis causam non video.

1423. *κασιγνήτου*] Melius opinor scripsisset *νεωτέρου*. Quamvis enim qui se natu maiorem a fratre rideri dicit, eo ipso fratrem natu minorem esse indicat, multo tamen gravius est si maiori expressis verbis opponitur minor.

1424. *ἐκφέρεις*] Ante Tyrwhittum *ἐκφέρει*.

1425. *ἀμφοῖν*] Frustra Blaydesius *αὐτοῖν*.

1429. *οὐκ*] Laur. aliique *οὐδ'*.

1434. *πρὸς τοῦδε πατρὸς τῶν τε τοῦδ' Ἐρινύων*] Praestare opinor *πρὸς τοῦ τε πατρός*.

1435. *εὖ διδοίη*] Ante Burgesium *εὐοδοίη*.

1437. Versum hunc spurium esse post alios intellexit Dindorfius, verissime ille genuina poetae verba excidisse statuens.

1444. *φῦναι*] Si recte Nauckius verbum activae potestatis requisivit, non credo tamen id *κρᾶναι* fuisse, sed *φῆναι*. Statim ante Elmsleium legebatur *σφῷν*.

1447. *ἦλϑέ μοι κακὰ*] Postremam vocem *κακά*, quae vulgo in sequente versu post *βαρύποτμα* legitur, in fine huius versus collocavi. Aliter Hermannus.

1450. *κιγχάνει*] Laur. *τυγχάνῃι* in *κιχάνῃι* mutatum. Vulgo *κιχάνει*. Correxit Hermannus.

1453. *ὁρᾷ ὁρᾷ*] Bergkius *ὁρᾷ δ' ὁρᾷ*, at maior vis in asyndeto. Cf. Aeschylus Pers. 989. *ὁρῶ ὁρῶ*. Eumen. 255. *ὅρα*

ὅρα. Quod statim sequitur ταῦτ' Dindorfius in πάντ' mutavit. Bene ταῦτα tuetur Spengelius.

1454. ἐπεὶ μὲν ἕτερα] Recte viri docti suspectant ἐπεί, reiecta durissima Hermanni explicatione. Apertum est requiri participium; non credo tamen neque Dindorfium verum vidisse qui ἄγων, neque Hartungum qui στρέφων reponit. E scholiasta liberrima verborum poetae circumscriptione utente nihil conici potest. Ipse scribendum putavi ἐφείς, eodem huius verbi usu, quo Homerus κήδεα ἐφιέναι dixit et Aeschylus ἐφιέναι μόρον.

1455. τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὖθις] Vetus loci vitium τάδε πήματ' αὖθις e scholiis correxit Canterus; praeterea verborum ordinem ita invertendum esse τὰ δ' αὖθις παρ' ἦμαρ, antistrophicus versus docet.

1462. ἴδε μάλα μέγας ἐρείπεται] In Laur. μέγας scriptum fuisse omisso μάλα annotavit Dübnerus; neque legisse videtur Eustathius ad Hom. p. 692, 54. Et languet sane μάλα μέγας: quare scripsi μέγας ἴδε μέγας ἐρείπεται, cui favet nonnihil versus strophicus νέα τάδε νεόθεν ἦλθέ μοι. Quum primum μέγας excidisset, supervenere metrici μάλα supplentes. κτύπος, quod vulgo in initio sequentis versus legitur, in finem huius versus protraxi.

1463. ἄφατος ὅδε διόβολος] Ita libri habent; scripsi δίβολος ὅδ' ἄφατος, in quibus δίβολος Hermanno acceptum fero, cetera aliter administranti. Nunc tamen praetulerim διόβολος ἄφατος.

1466. ἔπτηξα θυμόν· οὐρανία γὰρ ἀστραπὴ φλέγει πάλιν] Metricum vitium alii alia correctione tollere conati sunt, Hermannus οὐράνια scribendo, id ut adverbii loco sit, Elmsleius οὐρία, Dindorfius ὀρανία, Bergkius ὀμβρία vel ὀμπνία ultima praeter consuetudinem producta. Quadrisyllabos pedes repudio

propter versum antistrophicum. *οὐρία* legisse videri potest scholiasta *ταχεῖα* pro explicatione ponens. at quis unquam *οὔριος* de celeri motu fulminis dixit? Quare *αἰθρία* scribendum putarem (puro enim caelo tonabat) nisi lenius suppeteret remedium *οὐρανὸν φλέγει*, *caelum illustrat.* Hoc igitur restitui. Erroris originem aperiet Cobetus Mnem. XI p. 419. Initio versus propter strophicum versum fortasse *ἔτηξα* scribendum, cll. Euripide apud Clementem Alex. Strom. III p. 520. *τήκω τάλαινα καρδίαν ὀρρωδίᾳ.*

1467. *τί μὰν ἀφήσει τέλος*] Laur. *ἀφῇς*, superscripto *ἀφήσει*. Perineptum vero loquendi genus est *τέλος ἀφιέναι*, quod qui recte sensit Nauckius minus feliciter tamen coniecit *τί μάν; τί φήσω τέλος;* Quanto rectius scripsisset *τί μὰν ἐπάξει τέλος*, ut est apud Aeschylum Sept. 157. Sed verum haud dubie est quod restitui *τί μὰν ἀφήσει βέλος;* Horum nominum frequens est permutatio, velut apud Aeschylum Pers. 269.

τὰ πολέα βέλεα παμμιγῆ
γᾶς ἀπ' Ἀσίδος ἦλθ' ἐπ' αἶαν
δίαν Ἑλλάδα χώραν,

ubi *τέλεα* scribendum esse ostendi in Philologo Gott. XIX p. 235.

Ibid. *δέδια δ'*] Libri *δέδια* (Laur. *δέδεια*) *τόδ'*. correxit Triclinius.

1470. *οὐδ'*] Ante Heathium *οὐκ*.

1472. *τῶδ' ἐπ' ἀνδρί*] Inutili coniectura *τῷδε τἀνδρί* Blaydesius.

1474. Libri choro tribuunt. correxit Turnebus.

1475. *τοῦτο*] Omittit Laur. et libri non interpolati, quos sequutus Dindorfius in fine versus addere maluit *πάτερ*.

1477—85. In hoc carmine poeta inde a quarto versu exactissimam non metrorum tantum, sed etiam singulorum co-

lorum verborumque cum antistropha congruentiam sequutus est, adeo quidem ut bisyllaba bisyllabis, trisyllaba trisyllabis etc. respondeant. Rem oculis subiciam:

στροφή	ἀντιστροφή
ματέρι | τυγχάνεις ἀφεγγὲς | φέρων.	βούθυτον | ἑστίαν | ἁγίζων | ἱκοῦ·
ἐναισίου δὲ | σοῦ τύχοιμι,	ὁ γὰρ ξένος σε | καὶ πόλισμα
μηδ' ἄλαστον | ἄνδρ' ἰδὼν	καὶ φίλους ἐπ | αξιοῖ
ἀκερδῆ | χάριν | μετάσχοιμί πως.	δικαίαν | χάριν | παρασχεῖν παθών.
ἄισον | ὦ ἄναξ.	Ζεῦ ἄνα | σοὶ θροῶ.

In tanta horum versuum aequabilitate credi non potest poetam in tribus primis versibus minus fuisse accuratum, ex quo sequitur illos gravissimas et quae vix tuto emendari possunt corruptelas traxisse.

1477. *ἀμφίσταται*] Si recte antistrophicum versum (1491) emendavi, metra exaequari possunt scribendo *περιίσταται*, quo composito cum Homerus usus sit, ne tragicos quidem in melicis carminibus abstinuisse probabile est. Cfr. Porsonus ad Eurip. Med. 284.

1478. *ὄτοβος ὦ*] Abest vulgo *ὦ*, quo addito iam optime sibi respondent *ἐναλίῳ* et *ὄτοβος ὦ*.

1480. *ἴλαος — ἴλαος*] Scribendum suspicor *ἵλεως — ἵλεως*, prima syllaba correpta, ut in *ἱλάονται* apud Homerum Il. II, 550, et mensura iambica, ut apud Eurip. Hel. 1013 (1008).

1482. *σοῦ τύχοιμι*] Libri *συντύχοιμι*. correxit Cobetus N. L. p. 201.

1488. *ἐμφῦναι φρενί*] *ἐμφῦσαι* Hermannus, legitque hoc manifesto scholiasta; non male tamen *ἐμφῆναι* Nauckius, cui parum abest ut assentiar *φρενί* e fine praecedentis versus natum

statuenti, non autem ut *φίλῳ* vel *φράσον* in eius locum sufficiendum putem, sed ut Sophoclem scripsisse opiner *ἐμφῆναι λόγῳ*, sive mavis *ἐμφῦσαι λόγῳ*. cf. Aeschylus Suppl. 276. *καὶ ταῦτ' ἀληθῆ πάντα (κάρτα?) προσφύσω λόγῳ.*

1491. *ἰὼ ἰὼ παῖ βᾶθι*] Alterum *ἰὼ* addidit Hermannus. Totus versus fortasse ita scribendus:

ἰὼ ἰώ, πρόβαθι, βᾶθ' [ἀγρόθεν] εἴτ' ἀκρᾶν ἐπὶ —

in quibus *ἀκρᾶν* pro *ἄκραν* restituit Hartungus; praeterea loco *ἐπί*, quod non video quo pacto defendi possit, scribendum videtur *περί*. Pro *ἀγρόθεν*; quod supplevi, rectius fortasse *οἴκοθεν* supplendum est. Alterutrum sane et loci sententia et syntaxis et metrum postulat.

1494. *Ποσειδανίῳ*] Ante Bergkium *Ποσειδαωνίῳ*. Malim *Ποσειδανείῳ*.

1495. *ἱκοῦ*] Ante Elmsleium *ἵκου*.

1498. *ἄισσ' ὦναξ*] Triclinius *σπεῦσον* ante *ἄισσε* addidit, quod plerique sequuti sunt; at vix credibile est poetam in hac obtestatione diversa tempora coniunxisse; accedit quod metra ne sic quidem satis sibi respondent. Suspicabar *ἄισον ἐλθ' ὦναξ*. Quamquam in talibus locis quis certa spondeat? apertum enim est haec etiam hunc in modum scribi posse *ἄισον ὦ ἄναξ*, et in opposito versu *Ζεῦ ἄνα σοι θροῶ*, ut *φωνῶ* pro glossemate sit. Hesychius *Θρόος· φωνή*. De imperativo *ἄισον* dixi ad v. 1192.

1501. *ἀστῶν*] Libri *αὐτῶν*. emendavit Reiskius.

1506. *τῇσδ' ἔθηκε*] Libri *θῆκε τῇσδε*, Reisigius *ἧκε τῇσδε*, Heathius *τῇσδ' ἔθηκε*.

1512. *σῆμα τῶν προκειμένων*] Ante Dindorfium *σημάτων*. Nauckio praeterea *πεπρωμένων* corrigenti non assentiar.

1515. *αἱ πολλὰ βρονταὶ διατελεῖς*] Ad verbum si haec

vertas, habebis *perpetua quae indentidem incidunt tonitrua*, quod quid sit non assequor. Dubito etiam an recte *πολλὰ* sic a *διατελεῖς* seiunctum sit. Quod autem maximum est, unde nominativos pendere dicamus? Theseus interrogaverat *πῶς εἶπας δηλοῦσθαι τάδε;* ad quae nisi a balbutiente responderi non potuit *αἱ βρονταί*. Laur. aliique libri habent *αἱ πολλαί*, quod vide ne glossema sit sequentis *διατελεῖς*, Sophocles autem scripserit *δηλοῦσι βρονταὶ διατελεῖς*. Hoc recipere non dubitavi. Quodsi quis *δηλοῦσι* ex praegresso *δηλοῦσθαι* assumendum existimat, mutabit opinor sententiam, si vernaculo sermone graeca sibi reddiderit.

1516. *στράψαντα*] Ita Piersonus correxit librorum scripturam *στρέψαντα*. Unum apogr. *πολλά τ' ἀστράψαντα*. Inutili lusu vir doctus *σκήψαντα*.

1525. *γειτονῶν*] Libri fluctuant inter *γειτόνων* et *γειτονῶν*, Laur. duplice accentu *γειτόνῶν*. Qui *γειτόνων* praeoptant, id durissime cum *ἀλκήν* coniungere coacti sunt. Necessarium mihi videtur, quod cum Dindorfio praetuli, *γειτονῶν*. Hoc enim dicitur: meus tumulus in vicinia tua situs vice exercitus ex longinquo arcessiti tibi erit praesidio. Opposita sunt *ἐπακτὸν δόρυ* et *γειτονῶν τύμβος*, eamque ob causam haec arcte coniunxit poeta. Non recte autem *ἐπακτὸν δόρυ* et *ἀσπίδες* Dindorfius auctore Doederlinio distinguit, ut *ἀσπίδες* sint quasi legionarii, *ἐπακτοί* autem mercenarii; imo *ἐπακτόν* simul ad *ἀσπίδες* spectat, et *ἀσπίδες καὶ δόρυ* unum eundemque exercitum complectuntur. Cf. quae ad Electr. 36. dixi.

1526. *ἃ δ' ἐξάγιστα μηδὲ κινεῖται λόγῳ*] Quae cum piaculo coniuncta sunt neque verbis moventur, h. e. *ἃ ἐξάγιστά ἐστι τῷ κινοῦντι*. Nihil in his corrupti est.

1529. *στέργων ὅμως*] Laur. *στέργω νόμοι*.

1531. *τῷ προφερτάτῳ μόνῳ*] Nauckio *γόνῳ* pro *μόνῳ* scribendum suspicanti adeo non assentior, ut si omnes libri haberent *γόνῳ*, ego id *μόνῳ* scribendum esse dicerem. Natu maximo, non etiam aliis filiorum haec arcana aperienda esse dicit. Neque ex eo, quod scholiasta *τῷ πρεσβυτέρῳ υἱῷ* posuit, colligi potest, hunc in suo libro habuisse *γόνῳ*.

1533. *τήνδ' ἐνοικήσεις πόλιν*] Cave corrigas *τήνδ' ἂν οἰκήσαις πόλιν*. V. ad Electr. 798.

1534. *ὑπ' ἀνδρῶν*] Vulgo *ἀπ' ἀνδρῶν*, quod recte dictum esse tum credam, si quis graece dici docuerit *ἡ πόλις πορθεῖται ἀπὸ τῶν πολεμίων*. Emendavit Schaeferus, cui nemodum obsequutus est. Quae sequuntur *αἱ μυρίαι πόλεις*, *civitates pleraeque omnes*, incredibile dictu est in vitii suspicionem vocari potuisse.

1540. *παρόν*] Speciose, non vere Matthiae *πτερόν* coniecit.

1541. *μηδ' ἔτ'*] Vulgo *μηδέ γ'*. correxit Reisigius.

1549. *ὦ φῶς ἀφεγγές, πρόσθε πού ποτ' ἦσθ' ἐμόν*] Antea quidem se in hac luce non luce versatum esse, nunc vero postremum ab ea se tangi dicit. In quo quid Nauckio meo adeo displicuerit, ut emendationem periclitaretur nullo pacto admittendam, exputare non possum. Neque verum est Oedipum visum recuperasse, quod ex vs. 1543. colligi non potest. Animi, non corporis oculis cernebat.

1551. *τὴν τελευταίαν, βίον*] Vulgo *τὸν τελευταῖον βίον*. Dindorfius *τὴν τελευταίαν ὁδόν*, Martinus *τόνδε δειλαῖον βίον*. Ego Musgravium sequutus sum.

1556. *τὰν ἀφανῆ θεόν*] Invisibiles et ex hominum conspectu sublati omnes sunt dii deaeque, non solum Proserpina, quare *τὰν ἀφαῆ θεόν* poetam scripsisse suspicatus sum, *luce*

carentem, quemadmodum Pluto statim ἐννυχίων ἄναξ appellatur.

1560. λίσσομαι] Dindorfius oppositorum versuum metra exaequaturus λίσσωμαι edidit, usu coniunctivi, quantum equidem scio, nullis exemplis muniendo. Scholiasta in libro suo post λίσσομαι habuit διδοῦ μοι, quod nisi interpretis fuit infinitivum ἐξανύσαι explicare volentis, ex αἰτοῦμαι corruptum videri potest; nam αἰδοῦμαι, quod Reisigius coniecit, merito reiecit iam Elmsleius. Sed vitium loci in antistrophico potius versu quaerendum est.

1561. μὴ 'πιπόνῳ] Laur. μήτ' ἐπιπόνω (sic); similiter reliqui libri. Recepi Bergkii emendationem; ἀδάματον in versu antistrophico choriambus est. Accurate tamen ne sic quidem metra congruunt: congruerent si legeretur μὴ 'πιπόνως ἐπί τε βαρυαχεῖ.

1562. ἐξανύσαι] Ante Vauvilliersium ἐκτανύσαι. Scholiasta κατανύσαι.

1564. νεκρῶν πλάκα καὶ στύγιον δόμον] Libri νεκύων, illud Triclinius. Metro sua constabit ratio, si scripseris νεκρῶν πλάκα τὸν στύγιόν τε δόμον, et in antistropha κατεύχομαι ἐν καθαρῷ βεβάναι.

1565. πολλῶν γὰρ ἂν καὶ μάταν] Non suo loco posita est particula ἄν, quae ut nunc res est non potest nisi ad ἱκνουμένων trahi. Multo minus offensionis habet Electr. 1440. δι' ὠτὸς ἂν παῦρά γ' ὡς ἠπίως ἐννέπειν πρὸς ἄνδρα τόνδε συμφέροι, et Oed. Tyr. 1354. τότε γὰρ ἂν θανὼν οὐκ ἦ φίλοισιν οὐδ' ἐμοὶ τοσόνδ' ἄχος. Forsan igitur scribendum πολλῶν δ' ἀνάγκᾳ μάταν, *multis malis fati necessitate temere* (i. e. *nullo suo merito*, ut Musgravius interpretatur) *in eum ir-*

ruentibus, rursum iustus ei deus faveat. Sed pro ἱκνουμένων expectatur praeteritum.

1567. σφε] Libri σε, quod correxit Reiskius.

1568. σῶμά τ' ἀνικάτου] Hermannus propter strophicum versum ἀμαχάνου edidit; ego σῶμά τε μαιμάκου posui cll. Photio Lex. p. 241, 14. *Μαίμακον· τὸ χαλεπὸν καὶ δύσμαχον. τραγικὴ ἡ λέξις.* Ab hoc adiectivo non diversum esse videtur ἀμαίμακος, quod superest in paragoga forma ἀμαιμάκετος, qua plus semel utuntur poetae tragici, ut etiam lenius corrigi posse videatur σῶμά τ' ἀμαιμάκου.

1570. φασὶ πολυξέστοις] De φασί recte statuit Dindorfius; non male tamen Bergkius ταῖσι. Pro πολυξέστοις recepi certam emendationem Musgravii πολυξένοις.

1571. ἐξ ἄντρων] Strophicus versus si recte scriptus est, pro ἐξ ἄντρων non male conicias poetam scripsisse ἐκ πετρῶν, quod de antro dixit Sophocles Phil. 272. Nauckio quid praeter metrum in ἄντρων displicuerit, non indicavit.

1572. ἀδάματον] Ante Brunckium ἀδάμαστον.

1573. λόγος αἰὲν ἔχει] Ita Triclinius pro λόγος ἀνέχει scripsit. Bergkius μόγος αἰὲν ἔχει.

1574. ὅν] Posui quod poetica dictio postulabat τόν. praeivit Hermannus, optime de totius loci interpretatione meritus.

1575. κατεύχομαι ἐν καθαρῷ βῆναι] Hoc de Oedipo aptissime dictum esset, de Cerbero autem, ne impediat Oedipi iter iusso, ineptissime, nisi, quod non puto, demonstrari potest ἐν καθαρῷ βῆναί τινι graece dici posse pro *secedere ut aliquis pura et expedita via incedat.* Quare vereor ne locus corruptus sit, Sophocles autem scripserit ἐκ καθαρῶν βῆναι. Igitur hoc precatur chorus a Morte, ut Cerberum de pura planaque via se-

cedere iubeat Oedipo ad infernas plagas tendenti. Plurali *ἐν καθαροῖς* usus est Plato Legg. X p. 910. A.

1578. *αἰένυπνον*] Laur. *αἰὲν ἄυπνον*, sed in *αἰένυπνον* correctum. Veram scripturam servarunt etiam scholiasta Suidas et Eustathius. Recte Hermannus *aeternum sopientem* interpretatur.

1584. *λελοιπότα κεῖνον τὸν ἀεὶ βίοτον ἐξεπίστασο*] Locum conclamatum post inscita aliorum conamina Dindorfius ita sanandum coniecit *κεῖνον σαφῶς τὸν βίοτον*. Ego scribere ausus iam *ἐκεῖνον ἄρτι βίοτον*. *ΑΕΙ* extrita litera *P* ex *ΑΡΤΙ* natum videri potest, *τὸν* autem a metrico additum, postquam *ἐκεῖνον* in *κεῖνον* et *ἄρτι* in *ἀεί* abierat. Sed possunt etiam alia conici, e. c. *λελογχότα κεῖνον τὸν ἀεὶ θάνατον*, vel *τὸν αἰὲν ὕπνον* cll. Aeschylo Agam. 1450. *τὸν ἀεὶ φέρουσ᾽ ἐφ᾽ ἡμῖν Μοῖρ᾽ ἀτέλευτον ὕπνον*. Ac *λελογχότα* iam Mudgius coniecit, at idem reliquit *βίοτον*, quo sententia evadit Christiano homine quam ethnico dignior. Quod compluribus aliis pro *ἀεί* in mentem venit *αἰνόν*, non minus mihi reiiculum videtur, quam quod item aliis placuit *τὸν ἄβιον βίοτον*.

1586. *καὶ σύ που παρὼν ἔξοισθ᾽ ὑφηγητῆρος οὐδενός*] Ex linguae usu haec significant aut *scis te praesentem adesse*, aut *scis quum praesens adsis*, non autem quod sensus loci poscit, *quum praesens adfueris*. An igitur corrigendum *καὶ σύ που παρὼν ἐξεῖδες ἡγητῆρος οὐδενὸς φίλων*? Similiter quidem *παρών* positum videtur apud Aeschylum Pers. 266.

καὶ μὴν παρών γε κοὐ λόγους ἄλλων κλύων,
Πέρσαι, φράσαιμ᾽ ἂν οἷ᾽ ἐπορσύνθην κακά.

Sed tamen diversa est huius loci ratio, in quo *φράσαιμ᾽ ἂν* pendet a *κλύων*, non a *παρών*, quod quum poneret poeta ita perrecturus erat *αὐτὸς πάντα κακὰ εἶδον*. De Antig. 1192. et de Aristoph. Vesp. 872. in quibus item *παρών* praeteriti vim ha-

bere putatur, dixi Symbolis criticis ad Antig. p. 46. In Laur. ὑφ' ἡγητῆρος scriptum est, ut praepositio interpolatori deberi videatur. Simplex ἡγητήρ habes 1521. De ἐξιδεῖν v. 1648.

1592. πολυσχίστων] Ante Heathium πολυσχίστῳ.

1595. ἀφ' οὗ μέσος στάς] Ita Brunckius correxit librorum scripturam ἐφ' οὗ μέσου στάς. Rarissimam structuram imitatus est Alciphro Fragm. 3 p. 78. μέση γὰρ ἕστηκα ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης καὶ τοῦ Ἔρωτος. Ita enim scribendum est.

Ibid. τοῦ τε Θορικίου πέτρου] Importune et praeter rei veritatem Thoricum in his regionibus commemorari dudum a criticis intellectum est. Nec lectioni sua constat fides. In Laur.
τε
scriptum est τοῦϑ ορικίου, ϑ ex τ facto et τε superscripto; itaque antiqua scriptura erat τουτερικίου, quod in libro Par. T. distincte τοῦτ' ἐρικίου scriptum est. Igitur scribendum duxi τοῦ τ' Ἐρικείου πέτρου, sive rupem illam a frequente ericarum proventu, sive ab arborea nympha Erica (Hesychius v. Ἐρίκη) in illis regionibus fortasse culta, sive denique ab Ericea, Aegeidos phylae pago notissimo in Coloni si forte vicinia sito, denominatam fuisse dicamus.

1597. ἔλυσε] Male de exuendis vestibus hoc interpretantur. Exuebat sane vestes sordidas Oedipus, sed non ante quam filiae novas attulissent; itaque ἔλυσεν est *laxabat*, remotis quibus constrictae erant fibulis. Cf. Trach. 923.

λύει τὸν αὐτῆς πέπλον, ᾗ χρυσήλατος
προὔκειτο μαστῶν περονίς.

1599. λουτρὰ καὶ χοάς] Non sine offensione est λουτρὰ καὶ χοάς coniungi, quod ex usu quodam pleonastico interpretari non licet. χοαί enim non facile dicitur nisi de inferiis in sepulcro defuncti effundendis; earum autem nulla fit in sequentibus

mentio. Vide igitur ne λουτρὰ καὶ στολάς a poeta scriptum sit. De χοαί quae dixi ne quis convelli dicat notissimo fragmento Sophoclis apud Stobaeum Ecl. phys. I. 41. 50 (n. 478 N.) ἄρσενας χοὰς Ἀχέροντος ὀξυπλῆγας ἠχούσας γόους, pro χοὰς scribendum est ῥοάς.

1600. ἐπόψιον] Laur. et Suidas προσόψιον.

1601. μολόντε] Libri alii μολοῦσαι, alii μολοῦσα. Dindorfius μολόντε, quod recepi.

1604. παντὸς — δρῶντος] Non obloquar Hermanno πᾶν δρῶν pro πᾶσα ὑπηρέτησις dictum esse statuenti, verumtamen quum hoc satis inusitate dictum sit, certe non absurdum fuerit conicere παντὸς εἶχ' ἔρωτος ἡδονήν, *omnis desiderii voluptatem percipiebat.*

1607. πεσοῦσαι κλᾶον] Libri πεσοῦσα κλαῖον. Dindorfius πεσόντ' ἔκλαον, Brunckius et Hermannus πεσοῦσαι 'κλαιον, insolita post αι apud Sophoclem aphaeresi.

1617. τὸ γὰρ φιλεῖν] Nescio an Sophocles τὸ γὰρ φιλοῦν scripserit.

1618. τητώμεναι] Nondum observatum vidi a grammaticis hoc participium constanter perfecti notionem habere, nec ullum aliud huius verbi tempus praeter praesens Atticis in usu fuisse.

1619. τὸ λοιπὸν ἤδη τὸν βίον διάξετον] Laur. τὸ λοιπὸν ἤδη βίοτον, ceteri fere τὸν λοιπὸν ἤδη βίοτον, Suidas τὸ λοιπὸν ἤδη τοῦ βίου, unde Elmsleius, quem plerique sequuti sunt, coniecit τὸ λοιπὸν ἤδη τὸν βίον. Nulla causa est cur librorum scripturam βίοτον repudiemus, modo pro διάξετον scribatur ἐκδιάξετον, *ad finem usque peragetis.* ἐκ ante διά in tanta harum vocularum similitudine (v. Cobetum N. L. p. 289) facillime intercidere potuit. Ac simillimus orationis color est Trach. 81. τὸν λοιπὸν ἤδη βίοτον εὐαίων' ἔχειν.

1622. οὐδ᾽ ἔτ᾽] Ante Turnebum οὐδέ τ᾽.

1626. καλεῖ — θεός] Notavit h. v. propter πολλὰ πολλαχῇ, quibus res non augetur sed debilitatur, iam Hermannus ad Aristotelis librum de arte poet. p. 224. pro spurio abiecit Lehrsius in Museo Rhen. vol XVII p. 489. quem sequutus sum. Verba πολλὰ πολλαχῇ recepit fort. Hesychius, cuius glossae ita scribendae videntur Πολλὰ πολλαχῇ· πυκνῶς. Πολλὰ δέ· συνεχῶς δέ. πολλὰ δέ οἱ κραδίη πόρφυρε.

1630. οἱ] Laur. οἶ.

1632. πίστιν ἀρχαίαν] Neque corrupta haec sunt, ut Nauckius statuit, neque de spectata fide interpretari licet, ut voluit Dindorfius. V. ad Callimachum p. 136.

1636. οὐκ οἴκτου μέτα] *Sine lamentatione* interpretatur Musgravius. At lamentationi profecto non metuendum erat ne fortis Thesei animus indulgeret. Neque pertinent huc verba Aeschyli Sept. 51. Non punctum temporis dubitandum erat, quin recte Wexius οὐκ ὄκνου μέτα scripserit; Bergkius praeterea οὐδ᾽.

1640. τλάσας] Dindorfius τλάντε, qui tulit tamen τλασᾶν vs. 1077. Ibid. τὸ γενναῖον φρενί] Pro φρενί Laur. pluresque alii habent φέρειν, quod ferri potest si pro γενναῖον scriptum esset δειλαῖον. Editum Hermannus interpretatur *quod generosum est animo subeuntes.* Qui totum versum eiecit Nauckius, non facile habebit assentientem.

1646. ἀστακτὶ δὲ σὺν ταῖς παρθένοις] Dubitare licebit num poeta ἀστακτί h. l. ultima longa, supra autem v. 1259. ultima brevi dixerit. Conicere possis εἶτ᾽ ἀστακτὶ σὺν ταῖς παρθένοις, nisi potius alter locus vitiosus est, in quo ἀστακτά coniecit Bothius.

1653. βαιὸν οὐδὲ σὺν χρόνῳ] Ita si scripsit Sophocles,

admodum insolenter scripsisse dicendus est. Quanto rectius idem 397. *βαιοῦ κοὐχὶ μυρίου χρόνου.* Recte etiam Trach. 334. *βαιὸν ἀμμείνασα.* At *βαιὸν* pro *μετὰ βαιόν* dici non potuit nisi ab eo, qui in summa dictionis elegantia et suavitate novitatis tamen ad vitium usque studiosus esset.

1662. *ἀλύπητον*] Laur. *γρ. ἀλάμπετον*, quod probavit Hermannus.

1665. *εἰ δὲ μὴ δοκῶ*] Nescio an scribendum sit *εἰ δέ μοι δοκῶ* vel *εἰ δὲ δὴ δοκῶ*, hoc sensu: si mihi (vobis) mentis compos dixisse videor, eos quibus desipere videor, in partes meas traducere non conabor.

1669. *φθόγγοι σφε*] Laur. et pleraque apogr. *φθόγγοις δέ*, correctum ex libro Par.

1670. *αἰαῖ*] Libri *αἶ αἶ φεῦ*, in quibus *φεῦ* delevit editor Glasgoviensis.

1673. *ᾧτινε*] Vulgo *ᾧτινι.* emendavit Badhamus.

1675. *παροίσομεν*] Huc trahenda videtur glossa Hesychii *Παροίσομεν· παρενέγκωμεν, παρακομίσομεν.*

1676. *παθόντε*] Libri *παθοῦσα* et *παθοῦσαι*, corr. post Brunckium Cobetus.

1677. *ἔστιν μὲν*] Ante Hermannum *οὐκ ἔστιν μέν.*

1678. *ἐν πόθῳ*] Ante Canterum *εἰ πόθῳ.*

1680. *πόντος*] Dicit tempestatem ex mari terras perflantem. v. 1659. Quid scholiasta legerit *νόσος* vel *πόνος* pro interpretatione ponens obscurum est.

1682. *ἐν ἀφανεῖ τινὶ μόρῳ φερόμενον*] Hoc permire dictum est, etiam propter *ἐν*. Schol. *ἀφανῶς διὰ χάσματος ἀπολομένῳ.* Suspicor scribendum esse *ἐν ἀχανεῖ τινι πόρῳ.* Quod ipsum fortasse Hesychio in hac glossa *Ἀχανεῖ· ἀνανοίκτῳ* obversatum est. Plura de h. v. peti possunt ex Valckenarii nota

ad Theocriti Adon. p. 232. cll. Parmenide apud Sextum adv. Math. VII, 111. *θυρέτρων χάσμ' ἀχανὲς ποίησαν.* Labyrinthum Creticum Sophocles apud Phrynichum Bekkeri p. 28, 28. *ἀχανῆ* dixerat. Eandem vocem restituendam puto Aeschylo Sept. 860. ubi vulgo legitur *πάνδοκον εἰς ἀφανῆ τε χέρσον,* de Orco dictum. Corrige *ἀχανῆ τε χέρσον.* Lege totum locum nec de emendationis veritate dubitabis. *φερόμενον* Kunhardti correctio est pro *φαινόμεναι*; praeivit Hermannus *φερόμεναι, auferentes,* coniciens. Bergkius *χανόμεναι*, i. e. *χανοῦσαι*, usu aliunde non cognito.

1684. *βέβακε*] Libri *βέβηκε.*

1690. *ξυνθανεῖν γεραιῷ*] Haec Dindorfius delevit.

1693. *διδύμα — ἀρίστα*] Libri *δίδυμα — ἄριστα.* emendate Triclinius.

1694. *κακῶς*] Libri addunt *φέρειν χρή*, quae delevit Elmsleius.

1695. *μηδὲν ἄγαν*] Libri *μηδ' ἄγαν οὕτω*, illud Dindorfius correxit, *οὕτω* delevit Burtonus.

1696. *κατάμεμπτ' ἐβήτην*] Ante Elmsleium *ἔβητον.* Scholiasta *κατάμεμπτος ἔβη*, Bergkius *κατάμεμπτ' ἔβη σφῷν*, Nauckius *κατάμεμπτος αἶσα.* Nullam vidi necessitatem corrigendi.

1698. *ὃ μηδαμὰ*] Ante Brunckium *ὁ μηδαμῆ.* Ib. *δὴ τὸ φίλον*] *δὴ φίλον ἦν* Brunckius, *δῆτα φίλον* alius.

1699. *γε καὶ τὸν*] Arndtius *γ' ἔτ' αὐτόν.*

1702. *οὐδέ περ ὧδ'*] Libri *οὐδὲ γέρων.* Elmsleius *οὐδὲ θανὼν*, Hermannus *οὐδὲ γὰρ ὢν*, Bergkius *οὐδέ γ' ἔνερθ'* edidit. Scripsi *οὐδέ περ ὧδ'.* Cfr. Aeschylus Choeph. 504. *οὐδέ περ θανών*, favetque emendationi strophici versus clausula sono simillima *ἐν πυμάτῳ δ'.*

1703. τᾷδε] Libri τάδε. Emendate Triclinius.

1709. ἀνὰ] Vulgo ἀεί. correxit Hermannus, nisi forte καὶ scribendum, ut hae sibi formae respondeant – ⏑ – et ⏑ ⏑ ⏑ –, quemadmodum 1685 et 1712.

1710. δακρῦον] Ante Reisigium δάκρυον (δακρύον).

1712. τόσον] Libri τοσόνδ'. Emendavit Arndtius.

1713. ἰὼ γᾶς] Libri ἰὼ μὴ γᾶς. Sequutus sum Nauckium. Dindorfio omnia haec ἰὼ μὴ — ἀλλ' in genuinorum verborum locum ab interpolatore suffecta videntur.

1714. ἔρημος ἔθανες ὧδέ μοι] Strophico versui melius respondebit ἔρημος ὧδέ μοι θάνες, quod reponendum duxi.

1715. πότμος ἐπιμένει] Inter haec duo verba libri habent αὖθις ὧδ' ἔρημος ἄπορος, quae ex 1735. temere huc illata esse vidit Lachmannus Chor. syst. p. 237. Pro ἐπιμένει scribendum videtur ἀμμένει. Hermannus versibus aliter descriptis ἐπαμμένει.

1719. Lacunam indicavit Bergkius.

1725. ἵμερος ἔχει με — τίς;] Bergkius ἵμερος ἔχει μέ τις — φράσον. Quod mihi ita potius dicendum fuisse videtur ἵμερος ἔχει με — τίς; φράσον.

1731. καὶ τόδ' ὡς] Ante haec unius versus lacunam indicavit Bergkius.

1733. ἐπενάριξον] Ante Elmsleium ἐνάριξον. In sequentibus lacunas indicavi praeeunte Hermanno.

1736. τλάμον'] Ante Hermannum τλάμων.

1739. ἀπέφυγε — τί;] Libri ἀπεφεύγετον. Sequutus sum Hermannum; Bergkius edidit καὶ πάρος ἀπεφύγετον — τὸ τί;

1740. τὰ σφῷν] Ita Hermannus, vulgo σφῶιν sine τά.

1741. ὅπερ νοεῖς] Vulgo ὑπερνοεῖς. correxit Graserus.

1744. *καὶ τὸ πάρος εἶχε*] Libri *καὶ πάρος ἐπεί*. Wunderus *καὶ πάρος ἐπεῖχε*. Aptius ad sensum mihi visum est quod edidi; *εἶχε* ex *ἐπεί* sola literarum transpositione efficitur.

1745. *ἄπορα*] Vulgo *πέρα*. Correxit Wunderus. Nisi forte malis *ἕτερα*, *sequiora*.

1746. *ἐλαχέτην*] Ante Elmsleium *ἐλάχετον*.

1747. *ναὶ ναί. ξύμφημι καὐτὸς*] Delevit Dindorfius.

1748. *μόλωμεν*] Laur. *μέλωμεν*, apogr. partim *μέλωμεν* partim *μέλλομεν*, Schneidewinus *μένωμεν*.

1749. *τίν᾽ ἔτι με*] Ante Hermannum *τί με*.

1752. *ἐν οἷς γὰρ χάρις ἡ χθονία ξενία κεῖται*] Ita dubitanter haec emendavi. Pro *ξενία κεῖται* libri habent *ξυναπόκειται*. Reisigius coniecit *ξύν᾽ ἀπόκειται*, quod qui probavit Hermannus locum sic interpretatur *in quo statu et mortuo et superstitibus accepta mors est, non est lugendum*. Atqui filiabus Oedipi non accepta erat mors patris, ut nihil illa correctione lucremur. Quam ego tentavi emendationem, eius hic sensus est: *οὐ πενθεῖν χρὴ ἐν τούτοις, οὗ ἡ χθονία ξενία κεχαρισμένη ἐστίν*, sive, ut apud scholiastam est, *οἷς κεχαρισμένον ἐστὶ τὸ ἀποθανεῖν*. Hoc enim significant verba *ἡ χθονία ξενία*, quamvis malim *ἡ χθονίων ξενία*. Eadem imagine dixit Sophocles El. 96. *ὃν* (Agamemnonem) *φοίνιος Ἄρης οὐκ ἐξένισεν*, *hospitio excepit*, i. e. *interfecit*, ad quem locum scholiasta hoc Archilochi affert fragmentum *ξείνια δυσμενέσιν λυγρὰ χαριζόμενος*. Praeterea pro *ἐν οἷς* malim *ἐφ᾽ οἷς*.

1755. *τίνος — χρείας ἀνύσαι*] Brunckius *χρείαν*. Nauckius *τίνας — χρείας*. Plurali vix hic locus est. Temere Blaydesius *τίνα δή, παῖδες, χρείαν ἀνύσαι*; Fortasse scribendum *τίνος — χρείᾳ ᾽ξανύσαι*, *cuius rei indigentes ut eam consequamini*, ut supra habes v. 1280. *λέγ᾽ αὐτὸς ὧν χρείᾳ πάρει*.

1756. *αὐταὶ*] Non apparet cur se *ipsas* patris sepulcrum visere velle dicant. Forsan *καὐταί, nos quoque.*

1758. *ἀλλ' οὐ θεμιτὸν κεῖσε μολεῖν*] Postrema delevit Bothius; Hermannus edidit *θεμιτόν σοι κεῖσε μολεῖν*, Erfurdtius *θεμιτόν τινα κεῖσε μολεῖν*, quod Bergkius sequutus est; equidem post *μολεῖν* addidi *σφῷ* (non *σφῶ*) quod ante *πῶς* facile excidere potuit.

1764. *κακῶν*] Ante Hermannum *καλῶς*.

1772. *τοῖσιν ὁμαίμοις*] Hoc etiam systema paroemiaco claudendum esse docet constans usus Aeschyli et Sophoclis. V. Prom. 1053. 1062. 1010. 1079. Sept. 1065. 1070. Aiac. 1416. Trach. 1263. 1279. Phil. 1431. 1468. Quare reposui, quod scripsisse poetam probabile est *τοῖς [ἡμετέροισ]ιν ὁμαίμοις*.

1773. *ὁπόσ'*] Ante Porsonum *ὅσ'*.

1776. *πρὸς χάριν*] Haec ante Bergkium cum praecedentibus coniuncta erant. Statim libri post *οὐ* addunt *γάρ*, recte delevit Hermannus, nisi paroemiacus excidit.

1777. *μηδ'*] Ante Elmsleium *μήτ'*.

ANNOTATIO AD SCHOLIA

Scholia exhibui ut a Petro Elmsleio emendata sunt, receptis, ubi utile videbatur, aliorum quoque criticorum correctionibus, non indicatis tamen, nisi paucis locis, earum auctoribus. Quae ipse, partim tacite, emendavi et pauca sunt nec magni momenti. Praeterea de his admonendum videtur.

Vs. 42. Epimenidis versus ad h. l. allati vitium traxisse videntur:

ἐκ τοῦ καλλίκομος γένετο χρυσῆ Ἀφροδίτη,
Μοῖραί τ' ἀθάνατοι καὶ Ἐρινύες αἰολόδωροι.

Pro *ἀθάνατοι* Parcarum epitheton requiro significantius, quare scribendum esse suspicor *ἀδάματοι* vel *ἀκάματοι*. Nec *αἰολόδωροι* integrum videtur, non sufficit tamen neque quod Heynius coniecit *αἰολόδειροι*, neque quod Heinrichio Epimen. p. 131. in mentem venit, *αἰολόμορφοι*. Suspicari possis *Ἐρινῦς νηλεόδωροι* i. e. *νηλεόποινοι*. Trisyllabo *Ἐρινῦς* in eadem versus parte utitur Hesiodus Theog. 472.

Vs. 681. Euphorionis laudantur versus, de quibus dixi Anal. Alex. p. 93.

προπρὸ δέ μιν δασπλῆτες ὀφειλομένην ἄγον οἶμον
Εὐμενίδες ἀργῆτα θυγατριδέαι Φόρκυνος.

Multa tentarunt viri docti ut corruptelam, quam *ἀργῆτα* suscepisse existimabant, eluerent. Mihi re iterum iterumque considerata Euphorio *ἀργῆτα* sive *ἀργέστα* genetivo casu et ultima brevi dixisse videtur, quod idem sibi Aratus Dios. 664. in *ἱππότα* licere putavit:

τόξον ἐπερχόμενον πρότεροι πόδες ἱππότα φηρός,

Hoc etiam variis coniecturis, sed frustra, ut equidem opinor, et nulla cum probabilitate tentatum est. Meminerimus cum Alexandrinis poetis nobis rem esse, qui quidlibet audendi potestatem sibi concessam esse arbitrabantur. Non ineptum autem illud Phorcynis epitheton est, quippe *Albuneum* significans, quod ad albicantes maris spumas referendum est.

Vs. 687. *τοῦ Ἰλισσοῦ πηγαί — λέγοι δ' ἂν ἐν τῇ Καδμείᾳ*] De his olim in Miscellaneis Comment. I. p. 60 haec scripsi: „Corrigendum *τοῦ Κηφισοῦ πηγαί — λέγοι δ' ἂν ἐν τῇ Ἀκαδημείᾳ. Νομάδες κρῆναι*, inquit scholii auctor, sunt aut

fontes Cephisi per loca illa manantes, aut rivuli quos ipse Cephisus *ἐπινέμεται*. Academiam autem, quo ab urbe proficiscentes via per Thriasias portas sive Dipylon (Lucian. Scyth. vol. 1 p. 861.) ducebat, limpidissimis fontibus in Cephisum influentibus abundasse et ab Hippio Colono proxime abfuisse constat e Pausania I, 30. cf. Walpole *Memoirs* vol. I p. 483. et Gellius *Itin. of Greece* p. 38.'

Vs. 763. *πείρᾳ: βαρυτόνως ἀναγνωστέον πείρᾳ, οὐ περισπωμένως. οὕτω Δίδυμος*] Haec, nisi desipuit Didymus, quod sane passim illi accidit, ita scribenda sunt: *οὐ βαρυτόνως ἀναγνωστέον πείρᾳ, ἀλλὰ περισπωμένως*, vel *περισπωμένως ἀναγνωστέον πειρᾷ, οὐ βαρυτόνως.*

Vs. 900. *σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος*] Scholiastes haec neminem melius interpretatum esse affirmat Praxiphane, qui *ῥυτῆρα* de solea explicuerit. Quo novo exemplo comprobatum videmus, nihil tam absurdum, ne dicam tam vesanum esse, quod istis hominibus non in mentem venerit. Licebit tamen praepostera Praxiphanis interpretatione sic uti, ut alium Sophoclis locum non intellectum a viris doctis expediamus. Servavit eum Hesychius v. *Ῥυτῆρι κρούων*, Cycni verba esse testificans:

καὶ μὴν ὑβρίζων αὐτίκ' ἐκ βάθρων ἐλῶ,
ῥυτῆρι κρούων γλουτὸν ὑπτίου ποδός.

Sic enim pro *ἕλω* scribendum, ut vidit neglectus Sophocleorum fragmentorum editoribus Ellendt Lex. Soph. vol. II p. 697. pessime ille tamen cetera interpretatus *supino pede tanquam flagello usus*, in quo eum secuti sunt editores Stephani Thes. VI p. 2448. non memores illi, id *ῥυτῆρι ὑπτίῳ ποδὶ* dicendum fuisse, ut mittam portenti simile esse pede tamquam flagello uti. Imo *ῥυτῆρα ποδός* de calceo dixit poeta, sensusque loci hic est: *contumeliose*

*hostes e sedibus expellam supini pedis solea nates eorum pulsans**). Eodem intellectu Sophocles *παράρυμα ποδός* dixit Fragm. 482. N. ex Photio Lex. p. 389, 1. *παράρυμα ποδός· τὰ ὑποδήματα τὰ ῥυόμενα τοὺς πόδας.* Quocum comparandus Archias Anth. Pal. V, 207. *πορφύρεον χαίτας ῥύτορα κεκρύφαλον.*

Vs. 1047. *ὑπὸ τῆς μυστικῆς φλογὸς καὶ τῶν ἱερῶν δᾳδῶν, περὶ ὧν Αἰσχύλος φησίν·*

λαμπραῖσιν ἀστραπαῖσι λαμπάδων σθένει]

Pro *σθένει* scribendum suspicor *φλέγει*. Versus haud dubie ex earum fabularum aliqua petitus est, in quibus poetam Eleusinia mysteria evulgasse criminabantur. V. Lobeckium Aglaoph. p. 77. Id quod etiam de eo versu dicendum est, qui ad vs. 1049. affertur, *ἔφριξ' ἔρως δὲ τοῦδε μυστικοῦ τέλους.* Quae ita edidi:

ἔφριξ' ἐρῶσα τοῦδε μυστικοῦ τέλους,

posthabita Brunckii correctione *ἔφριξ' ἔρωτι*, et Dindorfii *ἔφριξ'· ἐρῶ δὲ τοῦδε.* Nimirum in *ΕΡΩCΑ* quum *Ά* male pro *Δ* acceptum esset, facilis lapsus erat ad *ΔΕ*, praesertim metro totam syllabam postulante.

Vs. 1375. Anonymi poetae fragmentum a scholiasta servatum Bergkius Comment. crit. Spec. IV. p. 9. Pratinae vindicare conatus est, loco verborum *παρά τινι αὐτὰ κεκτῆσθαι* sagaci coniectura reponens *Πρατίναν αὐτὰ ἐκτίθεσθαι.* Sagacem dixi coniecturam, veram dicere dubito. Pratinae poesis dubitari non potest, quin pariter atque Aristiae et Phrynichi ceterorumque illius aetatis poetarum Aeschyleae fuerit simillima, h. e. mascula, luminibus verborum et numerorum severitate

*) Hesychius haec alios ita explicuisse dicit, *φεύγοντας αὐτοὺς τῷ ὑπτίῳ ποδὶ τοὺς ἰδίους γλουτοὺς ποιήσω τύπτειν.* Hi igitur *κρούων* accipiebant pro *κρούειν ποιῶν.* Quae digna est Praxiphane interpretatio.

conspicua. Docent hoc vel paucae quae aetatem tulerunt horum poetarum reliquiae. Harum autem virtutum vix tenue in illis versibus vestigium, quos ne Attico quidem poetae tribuendos esse vel ionica genetivi forma *ὤμοιο* docere potest, qua nullus unquam poeta scenicus in trimetris usus est. At haud infrequens huius formae usus est apud Lycophronem, ut fragmentum illud Alexandrinae aetatis poetae adscribendum esse videatur. Eius quod nomen fuerit etsi certo dici non potest, fortasse tamen non omni veritatis specie haec carere videbitur emendatio: *παρὰ Τί[μω]νι αὐτὰ πεποιῆσθαι.* Timo Phliasius a Diogene Laertio IX, 110. *τραγῳδιῶν καὶ σατύρων καὶ δραμάτων κωμικῶν τριάκοντα* auctor fuisse perhibetur. Quae quidem dramata nec scenae destinata erant, neque ad legitimam dramatum formam elaborata. V. Histor. Com. graec. p. 527. et Lobeck. Aglaoph. p. 977. Ex eorum aliquo si Didymum, ex cuius in Sophoclem commentariis scholiastae disputationem ductam esse ostendit Bergkius, versus illos petiise coniciam, nihil ea res habet, quod a probabilitate prorsus abhorreat. Sed nolo incertis coniecturis indulgere. Dindorfium autem errasse in Praef. Annot. ad Soph. p. X. idem hoc fragmentum quinti sextive post Christum saeculi poetae assignantem, vel haec res documento est, quod Byzantinae aetatis poetae in fine trimetrorum neque voces ponunt monosyllabas, neque aliis quam vocabulis utuntur paroxytonis. Alia argumenta, quibus Dindorfii opinio convellitur, a Bergkio allata sunt.

Versu primo, quem exhibui ut in Romana scholiorum editione scriptus est, Laur. *ὁρῶντί τ'* habet et *εἰ* omittit. Eum Hermannus ita scripsit:

ἀεὶ δ' ὁρῶν γὰρ ὀξύ, καὶ τυφλός περ ἦν.

Bergkius autem sic:

ἀεὶ δ' ὁρῶν ἔτυχ' ὀξύ, εἰ καὶ τυφλὸς ἦν.

Equidem, quum legitima sit particularum δέ — γε coniunctio, nihil causae video cur dativus ὁρῶντι, cnm πατρί coniungendus, removeatur. ὀξύ cum hiatu poeta dixit, ut Empedocles v. 28. ὀξὺ δ' ἐπ' ὀξὺ ἔβη, nisi is scripsit potius καί τοι τυφλὸς ἦν, ut τοί ante τυφλός exciderit, quae facillima est emendandi ratio. Sed haereo in ipsa loci sententia, a qua acute cernendi potestas aliena est. Quo enim sensu dictum esse putabimus *acute cernebat, quamvis caecus esset?* Quae si quis eo referat, quod Oedipus in sequentibus carnes a filiis missas ab iis, quas ipse sibi mitti expectaverat, manuum tactu dignoscebat, non tamen propterea ὀξὺ ὁρᾶν dici potuit. Quare suspicor scripsisse poetam:

ἀεὶ δ' ὁρῶντί γ' ὄξος, εἰ καὶ τυφλὸς ἦν —

Quod dictum est ut κάρδαμον βλέπειν apud Aristophanem Vesp. 455. et θυμβροφάγον βλέπειν Acharn. 353. Nimirum praecesserat aliquid, quo fames et voracitas Oedipi ridebatur, quam in rem commode comparari potest quod Theocritus Id. X, 145. de esuriente dixit:

ὠνὴρ δ' ὄξος ἅπας, πεινᾶντι δὲ μὴ τὺ ποτένθῃς.

Itaque hoc dixisse putandus est poeta, *patri acrem semper iram vultu referenti, quantumvis caecus esset, mittere solebamus de sacrificiis ingentem bovis humerum.* — Vs. 2. ante Hermannum legebatur θυσίας γὰρ ἀπαρχὰς γέρας, in quibus γάρ, si recte ὁρῶντι retinuimus, structuram turbat; natum videtur e primis literis vocis sequentis. Praeterea κρέας pro γέρας probabili emendatione posuit Dindorfius. — Vs. 3. et 4. legebatur

ἔκκριτον γέρας· τὸ δὴ
αὐτοί γε συγκόψαντες, οὐ μεμνημένοι.

Ita enim ad Triclinii exemplum haec Elmsleius edidit. αὐτοί, quod Hermannus αὐτοῖς scripsit, Laur. omittit. Recte vero

Bergkius sententiam *ποτέ* desiderare intellexit, idemque *κρέας* emendavit pro *γέρας*. Sic igitur totum locum refinxit:

περισσὸν ὦμον, ἔκκριτον κρέας, [τὸ πρίν],
τὸ δή ποτε συγκόψαντες —

Equidem pro *τὸ πρίν*, quod pro ea, quam ego in ceteris sequutus sum ratione, ad sententiam non necessarium est, supplere malui *βοός*. Praeterea vitii suspectum habeo *συγκόψαντες*, pro quo verbum requiro, quo filii non concidisse carnes, sed comedisse dicerentur. Nisi enim humerum bovinum absumpsissent, quid impediebat eos quominus agnito errore concisas humeri carnes patri mitterent? Itaque scripsi:

περισσὸν ὦμον, ἔκκριτον γέρας, βοός.
τὸ δή ποτ' ἐγκάψαντες —

De tralaticia confusione praepositionum *ἐν* et *σύν* dixi Philol. XIV p. 3. sq. Non male tamen Triclinius *αὐτοί* supplevit, quod qui sequuntur, locum ita constituere debebunt:

περισσὸν ὦμον, ἔκκριτον κρέας· τὸ δή
αὐτοί ποτ' ἐγκάψαντες —

Vs. 5. bene Dindorfius revocavit codicis scripturam *ἀντὶ τοῦ* (i. e. *ἀντὶ τοῦ ὤμου*) *κεκομμένον*. Vulgo ex mala Triclinii correctione *ἀντὶ τοῦ κεκομμένου* legitur. *κεκομμένον βόειον* autem alias bovis partes dicit, quas conciderant filii in futuros usus servaturi. — Vs. 7. Hermannus dedit *ἔκθυμος*, fortasse recte, si quidem *ἐκ θυμοῦ* alias *ex animi sententia* significat; sed comparari potest *ἐξ ὀργῆς* et similia. — Vs. 8. *ἀντ' ὤμοιο* certa Dindorfii est emendatio, in quam etiam Bergkius inciderat; Laur. *ἀντόμοιον*, ineptissime a Triclinio in *ἀνθόμοια* mutatum. — Vs. 9. pro *πέμπων*, quae codicis scriptura est, Triclinius edidit *πέμπει*; ac sane si participium ponitur, linguae usus articulum poscit. Eodem versu *γέλωτα δή με* Elmsleium se-

quutus dedi. Laur. *γέλω δή με* habet, pro quo Triclinius *λέγων δὴ τἀμὰ* exhibuit; voluit, opinor, *γέλων δὴ τἀμά.* — Vs. 10. vulgo legitur *θύοντες ὕβρει· τυφλὸς οὗτοι γνώσεται οὕτω λέγοντες*, quae Hermannus ita edidit *θύοντες· ὕβρει, τυφλὸς οὔτι* (ita iam Brunckius) *γνώσεται, οὕτω λέγοντες.* Ego Bergkium sequutus sum. Ad orationis structuram comparandus est Aeschylus Agam. 1334. *μηκέτ' ἐσέλθῃς' τάδε φωνῶν*, et Choeph. 313. *δράσαντα παθεῖν' τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ.* — Vs. 13. Laur. *τόσσα σχέθειν.* — Vs. 15. *τοῖς βασιλικοῖς* Triclinius, Laur. *βασιλικοῖς*, Elmsleius *τυραννικοῖς*, Bergkius *βαληνικοῖς*, quod, si certa esset de Pratina coniectura, ceteris praeferrem.

Vs. 1606. *ἐν ᾳ̅* (*καιρῷ*) *ἔδει ἀποτάττεσθαι τὸν Οἰδίποδα*] Iniuria Elmslei coniecturam *ἀποσάττεσθαι* commendavi; *ἀποτάττεσθαι* in seriore graecitate est *valedicere.* Cf. Hesychius *Πολλὰ χαίρειν φράσας· ἀποταττόμενος.* V. Lobeck. ad Phrynichum p. 23.

ANALECTA SOPHOCLEA

OEDIPUS REX

Vs. 6.

Ἀγὼ δικαιῶν μὴ παρ' ἀγγέλων, τέκνα,
ἄλλων ἀκούειν αὐτὸς ὧδ' ἐλήλυθα.

Haec ita explicant docti homines, ut *παρ' ἀγγέλων ἄλλων* significare dicant *ab aliis qui mihi haec nuntient*, quasi scripserit poeta *παρ' ἄλλων ἀγγελλόντων*, quod recte fieri concederem fortasse, si inverso verborum ordine legeretur *παρ' ἄλλων ἀγγέλων*. Nihil ad hunc usum illustrandum facit locus Euripidis Orest. 531.

τί μαρτύρων
ἄλλων ἀκούειν δεῖ μ' ἄγ' εἰσορᾶν πάρα;

Quae quis enim suis ipse oculis cernit, eorum recte profecto ipse testis esse, *αὐτόμαρτυς εἶναι*, dici potest. Eademque Xenophontei loci ratio est item a viris doctis allati Cyrop. I, 6, 2. *ὅπως μὴ δι' ἄλλων ἑρμηνέων ταῖς τῶν θεῶν συμβουλίαις συνείης, ἀλλ' αὐτὸς ὁρῶν καὶ ἀκούων γιγνώσκοις*. Vides hic quoque eum qui ipse aliquid vidit audivitque iure meritoque aliis interpretibus opponi. Ad horum igitur similiumque locorum normam Sophoclea exigi non possunt. Multo minus huc advocari possunt quae de pleonastico, ut volunt, usu adiectivi *ἄλλος* disputavit Elmsleius ad Medeam p. 132. quae si quis paulo in-

tentius examinaverit, omnia ab huius loci ratione aliena esse intelliget. Quare nescio an vitium traxerit locus Sophoclis, quem equidem unius literae mutatione ita corrigendum censeo, ut pro *ΑΛΛΩΝ* scribatur *ΕΜΩΝ*. Similiter Sophocles locutus est Trachin. 391.

μίμν', ὡς ὅδ' ἀνὴρ οὐκ ἐμῶν ὑπ' ἀγγέλων,
ἀλλ' αὐτόκλητος ἐκ δόμων πορεύεται.

Faciliore etiam mutatione corrigi posset *ΑΜΩΝ*, nisi dorica huius pronominis forma Sophocles ibi tantum usus esset, ubi vulgarem formam metrum respuit.

Vs. 27.

θεοῖσι μέν νυν οὐκ ἰσούμενόν σ' ἐγὼ
οὐδ' οἵδε παῖδες ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι.

Quid? pueri tantum, *οἱ οὐδέπω μακρὰν πτέσθαι σθένοντες*? non etiam, quos prae pueris commemorari decebat, senes lectique iuvenes, quos adfuisse ipse indicarat sacerdos? Mirum sane ad haec nullum, quod sciam, attendisse interpretum. Nec vero tollitur dubitatio vs. 142. ubi rex totam concionem *παίδων* nomine compellat, vel vs. 147. ubi sacerdos item omnes qui adsunt alloquitur verbis *ὦ παῖδες ἱστώμεσθα*. Id suo illi iure faciunt, quippe paterna auctoritate utentes meritoque eos quos alloquuntur filiorum nomine compellantes. Non dubium mihi videtur quin poeta scripserit:

οὐδ' οἵδε πάντες ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι.

Quemadmodum vs. 41. habes *ἱκετεύομέν σε πάντες οἵδε πρόστροποι.*

Vs. 101.

ἀνδρηλατοῦντας ἢ φόνῳ φόνον πάλιν
λύοντας, ὡς τόδ' αἷμα χειμάζον πόλιν.

Dixerat Creon iubere deum *τὸ μίασμα τῆς χώρας ἐλαύνειν*, tum Oedipus *quo piamento? et cuius generis est quod dicit deus piaculum?* ad haec Creon *aut exilio aut caedem caede luendo; caedes enim, nullum aliud piaculi genus est, quo civitas agitatur.* Vides, opinor, totam horum verborum vim in *αἷμα* esse positam, unde consequens est, non *τόδ' αἷμα* scribere potuisse poetam, sed, quod iam Mudgius intellexerat, *τήνδ' αἷμα χειμάζον πόλιν*, aut, quae Hermanni coniectura est, *τάδ' αἷμα χειμάζον πόλιν*, ut *τάδε* de peste intelligatur, qua caedes civitatem exagitat. Quod viri docti dicunt, *τόδε* esse *de quo dicturus sum*, vel *quod in mente habeat deus*, id nihil plane ad rem facit.

Vs. 108—111.

ΟΙ. οἳ δ' εἰσὶ ποῦ γῆς; ποῦ τόδ' εὑρεθήσεται
ἴχνος παλαιᾶς δυστέκμαρτον αἰτίας;
ΚΡ. ἐν τῇδ' ἔφασκε γῇ. τὸ δὲ ζητούμενον
ἁλωτόν· ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον.

Non satis intelligitur quo *τόδε*, quod versu primo legitur, referri possit: nullum enim adhuc sceleris vestigium commemoratum erat. Scribendum opinor *ποῦ ποθ' εὑρεθήσεται*, quod in oratione concitata tam aptum est quam *τόδε* h. l. ineptum. Quae Creon ad Oedipi interrogationem respondet, ea, ut mihi quidem videtur, Creontis personae, nuntii partes tuentis, minus accommodata sunt. Quare existimo equidem, non hoc tantum respondisse deum, interfectorem Laii Thebis esse indagandum, sed adiecisse etiam reliqua, ut non inepte *ἐκφεύγειν* scribendum esse conicias, oratione et sententia oraculorum rationi accommodatissima.

Vs. 115.

οὐδ' ἄγγελός τις οὐδὲ συμπράκτωρ ὁδοῦ
κατεῖδ', ὅτου τις ἐκμαθὼν ἐχρήσατ' ἄν;

In Laur. plene κατεῖδεν scriptum est, quae res Nauckium movit, ut κατεῖδεν ὅ τι τις ἐκμαθών scribendum putaret. at durissime his infertur ἐχρήσατο, ad quod supplendum foret αὐτῷ; id vero nisi addatur, graeca oratio non minus manca est ac si latine dicas *quod quis resciscens utatur*. Alii vitium loci (nam vitium latet haud dubie) in verbo κατεῖδε positum esse existimant, cuius loco Bergkius et Sintenis alter κατῆλθ᾽ alter κάτεισ᾽ coniecerunt, quorum illud, si de exulis reditu ageretur, recte dictum esset; at qui de itinere redux factus est, rectius ἐπανελθεῖν dicitur; alterum vero, κάτεισι, ut mittam de re futura hic agi non posse, aeque vitiosum est quam quod alius vir doctus nuper coniecit, κάτοιδε, cui manifesto repugnat indicativus ἐχρήσατ᾽ ἄν, pro quo, sive praesens κάτοιδε sive futurum κάτεισι praecedat, optativum χρήσαιτο ἄν scriptum esse oportuit. His omnibus praestat haud dubie quod Dindorfio in mentem venit, κατεῖφ᾽ ὅτῳ τις ἐκμαθών, quod interpretatur κατεῖπέ τι, ὅτῳ τις ἐκμαθὼν ἐχρήσατ᾽ ἄν. Sed κατεῖπε, quod propter ἄγγελον posuit vir eximius, non necessarium puto; saepe enim in tragoedia, ubi duae res commemoratae sunt, in sequentibus una tantum respicitur. Itaque sufficere dicerem κατεῖδ᾽ ὅτῳ, nisi vitium loci non in κατεῖδ᾽ ὅτου, sed in ἐχρήσατο situm esse persuasum haberem, pro quo si ἐτίσατ᾽ ἂν scripseris, aptissima emergit sententia haec: *nullusne nuntius vel comes itineris rem* (vel caedem) *vidit, a quo quis eam resciscens ulcisci potuisset?* Tale quid enim ad κατεῖδε subaudiendum esse, totus docet contextus. ἄγγελον autem illum ex eo hominum genere fuisse puta, qui ultro citroque commeantes, si quid audivissent vidissentve, quod alios scire intererat, id his lucri spe illecti nuntiarent; frequenter hoc hominum genus a tragoedia commemoratur.

Vs. 182.

ἒν δ' ἄλοχοι πολιαί τ' ἔπι ματέρες
ἀκτὰν παρὰ βώμιον ἄλλοθεν ἄλλαν
λυγρῶν πόνων ἱκετῆρες ἐπιστενάχουσιν.

Quam tandem causam Nauckium meum impulisse dicam, ut ἠδ' ἄλοχοι scribendum esse ediceret, et pro ἀκτὰν παρὰ βώμιον coniceret ἀχὰν περιβώμιον? De ἒν δέ adverbiascente verissime disputavit Dindorfius, et ἀκτήν gemello modo dixisse Aeschylum, iniuriam facerem viro optimo, si id eum fugisse dicerem. Cur igitur emendantur, quae sunt κρότωνος ὑγιέστερα? ἒν δέ, ut hoc addam, bene etiam Aeschylo Sept. 970. restitutum est.

Vs. 198.

τέλει γὰρ εἴ τι νὺξ ἀφῇ,
τοῦτ' ἐπ' ἦμαρ ἔρχεται.

In primo versu, cuius haec est sententia, *morti si quid nox reliqui fecerit*, nullam causam esse video, cur vel cum Hermanno τελεῖν scribatur, vel cum Bergkio τελεῖ γάρ· εἴ τι νὺξ ἀφῇ. at alterum versum, quem ita vulgo intelligunt *id dies aggreditur*, vitii immunem esse non arbitror. Qui enim adgreditur hostem, non ideo eum etiam interficit; nec credo ἐπὶ ab ἦμαρ avelli posse. Scholiasta hanc posuit interpretationem: τοῦτο μεθ' ἡμέραν ἀνήρπασται. Qui si habuisset in suo codice quod nunc editur, hanc potius interpretationem posuisset: τοῦτο ἡμέρα ἀνήρπακεν. Quare conicio scripsisse poetam, quod vulgato haud paulo fortius est, τοῦτ' ἐπ' ἦμαρ οἴχεται. Confunduntur haec verba etiam Oed. Col. 574. Dictione ἐπ' ἦμαρ, *interdiu*, usus est Sophoclis in fragmento apud schol. ad Euripidis Phoen. 227.

Vs. 205.

βέλεα θέλοιμ' ἂν ἀδάματ' ἐνδατεῖσθαι
ἀρωγὰ προσταθέντα.

Non commemorassem hunc locum, nisi Dindorfium in eo haesisse et προσταχθέντα scripsisse vidissem, cui coniecturae obstare negat, quod spondeo in strophico versu iambus respondeat, cum accurarata responsio etiam tribus aliis in versibus huius strophae neglecta sit. Verum hoc; nolim tamen horum numerum coniecturae periculo augeri. ac fortasse ne eorum quidem quae Dindorfius in mente habuit exemplorum certa ubique scriptura est. Latissime patet haec quaestio, necdum inventus est qui fines, quibus apud Sophoclem antistrophicorum carminum responsio regatur, certo iudicio indicarit. Nam Aeschylus quam legem sequutus sit, nulla esse potest dubitatio. Ceterum si necessaria est Sophoclei loci correctio, etiam faciliore mutatione προσταγέντα scribi poterit. Sed προστῆναι commode explicare licet de telis dei opem ferentibus, quemadmodum in Aiac. 790 habes πρόστητ' ἀναγκαίας τύχης, quod recte scholiasta interpretatur ἐπίκουροι γένεσθε τῆς δυστυχίας. Simillimum vero Sophocleae dictioni est quod Callimachus Dian. 258 dicere ausus est de telis Dianae Ephesiorum urbem tuentibus: Ἐφέσου γὰρ ἀεὶ τεὰ τόξα πρόκειται, quod iusto acerbius exagitavit Cobetus Mnemosynae vol. X.

Vs. 252.

νῦν δ' ἐπεὶ κυρῶ τ' ἐγὼ
ἔχων μὲν ἀρχὰς ἃς ἐκεῖνος εἶχε πρὶν —

Particulae τέ nihil adest quod in sequentibus respondeat; nam τέ post κοινῶν hanc totam orationis partem κοινῶν — ἐκπεφυκότα coniungit cum proxime antecedentibus. quare malim

ἐπεὶ κυρῶ γ' ἐγώ, usu notissimo, quo *γέ* particula ab *ἐπεί* interposito vocabulo diremta est. Quod iisdem his versibus legitur *κοινῶν τε παίδων κοινά* iniuria attentavit Nauckius, *κύματα* pro *κοίν' ἂν* coniciens, non improbante Dindorfio. Nullum in his pleonasticae dictionis indicium: *κοινοί* vocantur *παῖδες* Oedipo et Laio communes, *κοινά* autem spectat ad rationem quae his a diversis patribus natis intercedit, quasi dicas *κοινῶν τε παίδων ἀδελφότητα, communes nobis nati essent liberi, fraternitatis vinculo inter se nexi.*

Vs. 269.

κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον.

Nauckius Blaydesii quandam ariolationem, *δύσμορον τρῖψαι βίον*, commemoratione dignam existimavit; nollem factum. Quis enim nescit aliud esse *τρίβειν βίον*, aliud *ἐκτρίβειν*? aut quem fugiat *ἄμορος* eodem sensu dici posse quo *δύσμορος*? ut *ἀγλώσσους* Sophocles Philoct. 1049. barbaros vocat, Philoctetem *ἄπουν* pro claudo Phil. 628, *ἀστόμους* equos duri oris Electr. 740, et alia eiusdem generis multa. De hac *α* privativi notione post Aristotelem Metaph. IV, 22. copiose dixit Teles apud Stobaeum Flor. CVIII, 83.

Vs. 287.

ἀλλ' οὐκ ἐν ἀργοῖς οὐδὲ τοῦτ' ἐπραξάμην.

Nescio quae h. l. vis esse possit medii *ἐπραξάμην*, cuius nullum praeterea exemplum neque apud Sophoclem neque apud Aeschylum reperias. Alius enim generis est quod legitur Agam. 812. *δικαίων ὧν ἐπραξάμην πόλιν*; et quod codd. habent ib. 823. *πάγας ὑπερκόπους ἐπραξάμεσθα*, rectissime Paleius scripsit *ἐφραξάμεσθα*. Facilis autem Sophoclei loci emendatio; scribendum enim *ἐπράξαμεν.*

Vs. 308.

εἰ τοὺς κτανόντας Λάιον μαθόντες εὖ
κτείναιμεν ἢ γῆς φυγάδας ἐκπεμψαίμεθα.

Prorsus inutile ad sensum ac prope dixerim languidum est istud *εὖ*, quo debilitatur potius sententiae vis quam acuitur. Neque ullo alio loco Sophocles *μανθάνειν εὖ* coniunxit, qui si vim notionis quae subest verbo *μανθάνειν* intendit, *ἐκμανθάνειν* dicit constanter. Sed ut dixi, nullus hic intentioni locus est. Itaque vix dubites quin Sophocles scripserit:

εἰ τοὺς κτανόντας Λάιον μαθόντες ἢ
κτείναιμεν ἢ γῆς φυγάδας ἐκπεμψαίμεθα.

Vs. 313.

σὺ καὶ δέδορκας κοὐ βλέπεις ἵν' εἶ κακοῦ.

Unice veram esse Reiskii emendationem *δεδορκὼς οὐ βλέπεις* docent similes loci. Sophocles Stobaei Flor. IV, 1. *οὐδ' ὁρῶντες εἰσορῶσι τἀμφανῆ.* Aeschylus Agam. 1623. *οὐχ ὁρᾷς ὁρῶν τάδε*; Prom. 447. *βλέποντες ἔβλεπον μάτην.* Demosthenes p. 796, 26. *ὥστε, τὸ τῆς παροιμίας, ὁρῶντας μὴ ὁρᾶν καὶ ἀκούοντας μὴ ἀκούειν*, qui locus inprimis notandus est.

Vs. 328.

πάντες γὰρ οὐ φρονεῖτ'· ἐγὼ δ' οὐ μήποτε
τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὰ σἀκφήνω κακά.

Periculosum est de loco dicere, in quo expediendo summi critici adhuc frustra laboravere. Fortasse tamen non indignum commemoratu est quod ego me conicere memini *ἐγὼ δ' οὐ μήποτε τἄμ', ὡς ἂν ᾖ, φῶ*, *nunquam ego mea, utcunque se habeant, effabor.* Verbo *φῶ* explicationis causa superscriptum erat *εἴπω*, quod ut fit in textum illatum expulit coniunctivum *ᾖ*. Hesychius *Φῶ· εἴπω. Φῶμεν· εἴπωμεν.*

Vs. 445.

κομιζέτω δῆθ'· ὡς παρὼν σύ γ' ἐμποδὼν
ὀχλεῖς, συθείς τ' ἂν οὐκ ἂν ἀλγύναις πλέον.

Schneidewinus verba *ἐμποδὼν ὀχλεῖς* interpretatur *turbas ut sis impedimento quominus dei iussa exequar*, qua explicatione nihil a mente Oedipi alienius; *ὀχλεῖς*, ut non raro alias, idem hic esse quod *λυπεῖς*, ostendunt sequentia. Hesychius *Ὀχλεῖ· λυπεῖ.* Cf. Heimsöth Append. ad librum de crisi Aeschyli p. 57. non recte tamen huc referens Aeschyli Prom. 313. in quo Doederlini coniecturam sequitur *ὥστε σοι τὸν νῦν ὄχλον* (pro *χόλον*) *παρόντα μόχθων παιδιὰν εἶναι δοκεῖν*, quo in loco unus omnium quid dici debuerit intellexit M. Hauptius, *τὸν νῦν πολὺν παρόντα μόχθον* verissime reponens. Haec demum graeca est oratio. In Sophocleo loco moram adhuc facit *ἐμποδών*, pro quo paulo melius mihi videretur *ἐμπέδως*, sed vereor ne aliud quid lateat. Altero versu *πλέον*, quod proprie *maiorem in modum* significat, hic ita dictum est ut vix alio loco reperias. Sententia *οὐκ ἔτ' ἂν ἀλγύναις* requirit, quare vide ne *πέρα* a poeta scriptum sit, quod etiam alias in *πλέον* corruptum memini. Denique pro *ἀλγύναις* scribendum *ἀλγύνοις*, de quo dixi ad Electr. 797.

Vs. 465.

ἄρρητ' ἀρρήτων τελέσαντα φοινίαισι χερσίν.

Hinc emendandus est Eusebius Praep. Ev. V, 6. *ἄκουε δ' οἷα ἐκφαίνει ὁ τὰ ἀρρητότερα τῶν ἀρρήτων διηρευνηκώς*, ubi si Gaisfordus Sophoclei loci memor fuisset, non *τὰ ἀρρητότατα* scripsisset, sed ex cod. *H τἄρρητα* emendandum esse vidisset. Idemque restituendum Porphyrii loco apud eundem Eusebium IV, 8. ubi editur *ταῦτά μοι ὡς ἀρρήτων ἀρρητότατα κρύπτειν.*

Vs. 476.

φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν
ὕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ
πετραῖος ὁ ταῦρος.

Haec Laur. scriptura est, disertim testante Gustavo Wolfio, apographis ultimo versu fere *πέτρας ὡς ταῦρος* exhibentibus. Bene ad sensum non minus quam ad metrum Dorvillius olim coniecerat *πέτρας ἅτε ταῦρος*. Probarunt hoc cum alii tum nuper Dindorfius, Hermanno codicis scripturam ita interpretante, ut *ὁ ταῦρος* omissa comparationis particula verteret *tanquam taurus*. Hoc ne probemus impedimento est articulus, ut recte animadvertit Bonitzius. Hinc sequitur ipsum illud *ὁ ταῦρος* corruptum esse, cui si substituas

πετραῖος ὁ γαῦρος,

nihil ultra requirendum videtur, *insolens ille et superbus*, quippe oraculum fuga eludere gestiens. Praestare hoc opinor Bergkii emendationi *πέτραισιν ὁ καυρός* conicientis et Photii glossa p. 151, 14. *Καυρός*(?) *ὁ κακός. οὕτω Σοφοκλῆς.* confisi. *πετραῖος* autem ut in *πέτραισιν* commutemus, idoneam causam video nullam. Variavit orationem poeta suo more, recteque dici *πετραῖος φοιτᾷ* pro *ἐν πέτραις* vel *ἀνὰ πέτρας φοιτᾷ*, non opus est exemplis declarari.

Vs. 532.

ἢ τοσόνδ' ἔχεις
τόλμης πρόσωπον ὥστε τὰς ἐμὰς στέγας
ἵκου, φονεὺς ὢν τοῦδε τἀνδρὸς ἐμφανῶς;

Haec facile aliquem in eam opinionem adducere possint, ut diversas Oedipum et Creontem aedes habitasse credat, re ipsa contrarium docente. Cf. 679. 1429. et quae ad 596 adnotavi. nec

repugnat 637. *οὐκ εἶ σύ τ' οἴκους σύ τε Κρέων κατὰ* (*τὰς σάς*?) *στέγας*, quibus Iocasta sua utrumque communis domus conclavia intrare iubet. At *τὰς ἐμὰς στέγας* cum dicit Oedipus, distinguere tamen videri possit suas aedes a domo Creontis. Forsan igitur scribendum *τάσδε τὰς στέγας*.

Vs. 566.

ἀλλ' οὐκ ἔρευναν τοῦ θανόντος ἔσχετε;

Ita si scripsit Sophocles, perquam ambigue, ne dicam perplexe loquutus est. non offenderem si legeretur id, quod aliquando Sophoclem scripsisse existimabam, *οὐ μέριμναν — ἔσχετε*. at *ἔρευναν τοῦ θανόντος ἔχειν* non video quid aliud significare possit quam *occisum indagare*. Itaque de interfecto dicitur quod rectius de interfectore diceretur. Quid igitur impedit quominus poetam id scripsisse putemus, quod nulli ambiguitati obnoxium clarissimam sententiam exhibet:

ἀλλ' οὐκ ἔρευναν τοῦ κτανόντος ἔσχετε;

Una tantum ratio suppeteret qua librorum scriptura servari potest, si demonstrari posset, *ἔρευναν τοῦ θανόντος* Sophoclem dixisse pro *ἔρευναν περὶ τὸν θανόντα*.

Vs. 584.

σκέψαι δὲ τοῦτο πρῶτον εἴ τιν' ἂν δοκεῖς
ἄρχειν ἑλέσθαι ξὺν φόβοισι μᾶλλον ἢ
ἄτρεστον εὕδοντ', εἰ τά γ' αὔθ' ἕξει κράτη.

In his *εὕδοντα*, sive proprio sensu sive figurato dictum accipias, iuxta inepte dictum est. Certa, ut mihi quidem videtur, coniectura scribendum est:

ἄτρεστον οἰκοῦντ', εἰ τά γ' αὔθ' ἕξει κράτη.

Hoc enim verbo sic uti solet Sophocles, ut abolita propemodum, certe attenuata habitandi notione, saepe nonnisi verbi substantivi

vim induat. Huius rei ignoratio non raro criticos ita fefellit, ut aut sanos locos corrumperent aut corruptos non recte emendarent. In Oedipo Col. 92. quod edidi:

κέρδη μὲν οἰκήσαντα τοῖς δεδεγμένοις,

nihil aliud significat quam Oedipum emolumento futurum esse iis qui eum recepissent. In eiusdem fabulae vs. 1336. recte legitur in libris omnibus *ἄλλους δὲ θωπεύοντες οἰκοῦμεν σύ τε κἀγώ*, ubi cave pro *οἰκοῦμεν* scribas *ἥκομεν*. at vs. 1265.

καὶ μαρτυρῶ κάκιστος ἀνθρώπων τροφαῖς
ταῖς σαῖσιν ἥκειν,

maxima est suspicio Sophoclem pro *ἥκειν* scripsisse *οἰκεῖν* i. e. *εἶναι*, ut Oedipo Tyr. 1390. *τὴν φροντίδ' ἔξω τῶν κακῶν οἰκεῖν γλυκύ*. In Philoct. 180.

οὗτος πρωτογόνων ἴσως
οἴκων οὐδενὸς ὕστερος,

nemo admonitus dubitabit mecum reponere participium *οἰκῶν*. Denique ex eodem usu emendare iuvabit Aeschylum Suppl. 354. ubi quum in libris haec habeantur:

ὁρῶ κλάδοισι νεοδρόποις κατάσκιον
νέον θ' ὅμιλον τόνδ' ἀγωνίων θεῶν,

viri docti *νεύονθ' ὅμιλον* correxerunt, quod quam miras et contortas explicationes expertum sit, videre licet apud Hermannum. Scribendum vero:

ὁρῶ κλάδοισι νεοδρόποις κατάσκιον
ναίονθ' ὅμιλον τόνδ' ἀγωνίων θεῶν,

i. e. *κλάδοις κατάσκιον ὄντα*. Nam etiam *ναίειν* sic dici ostendi Analectis Alex. p. 239. Ad eundem usum referendae sunt quodammodo frequentes dictiones, quibus *πόλις* vel *οἰκία κακῶς* vel *καλῶς οἰκεῖν* dicitur; quo nomine corrigendum mihi esse video fragmentum Herondae iambographi apud Stobaeum

Floril. XCVIII, 28. quod cum alio eiusdem poetae fragmento apud Stobaeum Flor. LXXIV, 14. coniungendum et sic emendandum arbitror:

μὴ δή, κόρη, τὺ τὴν χολὴν ἐπὶ ῥινὸς
ἔχ' εὐθύς, ἥν τι ῥῆμα μὴ σοφὸν πεύθῃ·
γυναικός ἐστι κρηγύης φέρειν πάντα·
ὡς οἰκίην οὐκ ἔστιν εὐμαρέως εὑρεῖν
ἄνευ κακῶν οἰκέουσαν. ὃς δ' ἔχει μεῖον,
τοῦτον τὺ κρεῖσσον τοὐτέρου δόκει πρήσσειν.

Versu primo vulgo editur *ῥῖνας*, quinto *ἄνευ κακῶν ζώουσαν*, et versu ultimo *τι μεῖζον* pro *τὺ κρεῖσσον*. In Sophoclis loco nunc video Nauckium coniecisse *ἄτρεστα ναίοντ'* —

Vs. 595.

νῦν πᾶσι χαίρω, νῦν με πᾶς ἀσπάζεται,
νῦν οἱ σέθεν χρῄζοντες αἰκάλλουσί με.

Verba *νῦν πᾶσι χαίρω* interpretantur *nunc omnibus gaudeo*, nescio an poeta invito. Malim utique *ab omnibus salutor*. In sequenti versu *αἰκάλλουσι* perelegans est L. Dindorfii coniectura a recentissimis editoribus unanimi consensu probata. Non damnaverim tamen librorum scripturam *ἐκκαλοῦσί με*, nisi quod praestare opinor *ἐκκαλοῦσ' ἐμέ*. Petituri aliquid a Creonte in eadem cum Oedipo domo habitante, hunc evocabant, ut res clam Oedipo ageretur. Similiter apud Euripidem Bacch. 170. Tiresias Cadmum aedibus evocat.

Vs. 621.

ΚΡ. τί δῆτα χρῄζεις; ἦ με γῆς ἔξω βαλεῖν;
ΟΙ. ἥκιστα· θνήσκειν, οὐ φυγεῖν σε βούλομαι.

Haec quo pacto cum iis conciliari possint, quae inde a vs. 640. leguntur, critici ne verbo quidem admonuerunt. Ibi enim Creon

Iocastae dicit, Oedipum ipsi alterum de duobus proposuisse, ut aut fugam capesseret aut mortem oppeteret,

δεινά με
δρᾶσαι δικαιοῖ θάτερον κρίνας δυοῖν,
ἢ γῆς ἀπῶσαι πατρίδος ἢ κτεῖναι λαβών.

Putabimusne adeo obliviosum fuisse Creontem, ut ne post brevissimum quidem actionis intervallum memoria teneret quae ex Oedipo audiverat? non credo hoc quemquam serio sibi persuasurum esse. Sed locus corruptus est, certaque coniectura ita in integrum restituendus:

ΚΡ. τί δῆτα χρῄζεις; ἢ στέγης ἔξω βαλεῖν;
ΟΙ. ἥκιστα· θνήσκειν ἢ φυγεῖν σε βούλομαι.

Nimirum Creon, easdem cum rege aedes incolens, hoc ex Oedipo quaerit, num se ex communibus aedibus exturbaturus sit. Poterat autem haec suspicio tanto magis eius animum subire, quum Oedipus aperte se insidiis a Creonte peti indicasset. Minatur itaque Oedipus Creonti aut capitis poenam aut exilium, prorsus ut Delphicus deus Laii interfectorem alterutra poena affici iusserat. Vs. 100. ἀνδρηλατοῦντας ἢ φόνῳ φόνον λύοντας, et 308. εἰ τοὺς κτανόντας Λάιον μαθόντες ἢ κτείναιμεν ἢ γῆς φυγάδας ἐκπεμψαίμεθα. Atque ita etiam alibi inter mortem et exilium optio datur. Cf. 658. Consulto autem scripsi στέγης ἔξω βαλεῖν, non στέγης μ' ἔξω βαλεῖν, quoniam pronomine hic commode supersederi posse existimo.

Habent vero etiam ea quae proxime sequuntur iustam de vulgatae scripturae integritate dubitandi causam:

ΚΡ. ὅταν προδείξῃς οἷόν ἐστι τὸ φθονεῖν.
ΟΙ. ὡς οὐχ ὑπείξων οὐδὲ πιστεύσων λέγεις;
ΚΡ. οὐ γὰρ φρονοῦντά σ' εὖ βλέπω.

Haec turbata esse intellexit Friedericus Haase in Progr. Vratisl.

a. 1856. edito, qui illud haud dubie verissime vidit, secundum versum Creontis esse non Oedipi, unde consequens est, primum Oedipo esse tribuendum. A sensu autem verborum ὅταν προδείξῃς κ. τ. ἑ. iuxta cum reliquis interpretibus, qui eum qui in libris obtinet versuum ordinem retinent, aberravit, ut mihi quidem videtur, longissime. Sic enim illum versum interpretatur *itane vero? egone cedam et fidem habeam, quando praemonstraveris quam detestabilis sit invidia?* Is si verborum sensus esset, Sophocli scribendum fuisset non ὅταν προδείξῃς, sed ἐπεὶ προὔδειξας. Sensit hoc Dindorfius Praefat. ed. tertiae Oxon. vol. I. p. XX. sed idem audacissime coniecit:

ὡς οὐ φρονῶν σὺ δ' οἷόν ἐστι τὸ φθονεῖν.

Enimvero nihil in librorum scriptura mutandum est. Postquam dixit Creon *tu loqueris quasi qui non cessurus mihi fidemque habiturus sis*, Oedipus hoc respondet *habebo fidem, si tuo antea exemplo ostenderis, quam periculosa res sit invidia*, quibus verbis aperte mortis poenam minatur Creonti, quem regnum sibi invidere dicit. Cf. 382. Ita si haec recte explicui, manifestum est versu tertio superesse aliquid corruptelae in particulis οὐ γάρ, quibus οὐκ ἄρα substituendum arbitror. Ita igitur totus locus scribendus est:

ΚΡ. τί δῆτα χρῄζεις; ἦ στέγης ἔξω βαλεῖν;
ΟΙ. ἥκιστα· θνήσκειν ἢ φυγεῖν σε βούλομαι.
ΚΡ. ὡς οὐχ ὑπείξων οὐδὲ πιστεύσων λέγεις;
ΟΙ. ὅταν προδείξῃς οἷόν ἐστι τὸ φθονεῖν.
ΚΡ. οὐκ ἄρα φρονοῦντά σ' εὖ βλέπω.

Praeterea post προδείξῃς fortasse addendum est γέ, ut v. 679. choro dicenti τί μέλλεις κομίζειν δόμων τόνδ' ἔσω; Iocasta respondet μαθοῦσά γ' ἥτις ἡ τύχη, quod etiam sic efferri potuit ὅταν μάθω γ' ἥτις ἡ τύχη. Eadem particula excidit Philoct.

105. ubi scribendum *ἰούς γ' ἀφύκτους καὶ προπέμποντας φόνον.*

Vs. 639.

ὅμαιμε, δεινά μ' Οἰδίπους ὁ σὸς πόσις
δρᾶσαι δικαιοῖ, δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν.

Audaci quidem at felici coniectura Dindorfius alterum versum ita refinxit *δρᾶσαι δικαιοῖ, θάτερον δυοῖν κακοῖν.* Qui pressius literarum vestigia sibi sequenda esse existimat, non male opinor conicere possit:

ὅμαιμε, δεινά γ' Οἰδίπους ὁ σὸς πόσις
δρᾶσαι δικαιοῖ μ', ἓν δυοῖν κρίνας κακοῖν.

De *κρίνειν eligendi* sensu dicto v. Oedipum Col. 640. *τούτων, Οἰδίπους, δίδωμί σοι κρίναντι χρῆσθαι.*

Vs. 658.

εὖ νῦν ἐπίστω, ταῦθ' ὅταν ζητῇς, ἐμοὶ
ζητῶν ὄλεθρον ἢ φυγὴν ἐκ τῆσδε γῆς.

Respondet haec Oedipus choro, qui hoc ab illo precatus erat ut ne incertis de Creonte suspicionibus indulgeret. Ex quo apparere existimo in Oedipi verbis non recte dictum esse *ὅταν ζητῇς*, quod poscendi vel petendi sensu ab Atticorum usu alienum est. v. H. Stephanum Thes. v. *ζητεῖν* et Cobetum V. L. p. 275. Quare *ταῦθ' ὅταν χρῄζῃς* scribendum suspicor, quo verbo ipse paulo ante Oedipus usus erat 652. *οἶσθ' οὖν ὃ χρῄζεις;* At quod statim sequitur *ζητῶν ὄλεθρον* recte dictum est.

Vs. 665.

ἀλλά μοι δυσμόρῳ γᾶ φθίνουσα τρύχει
ψυχάν· καὶ τάδ' εἰ κακοῖς κακὰ
προσάψει τοῖς πάλαι τὰ πρὸς σφῷν.

Corrupta haec esse docent versus antistrophici quorum haec est in libris scriptura:

> ὅστ' ἐμὰν γᾶν φίλαν ἐν πόνοις ἀλύου-
> σαν κατ' ὀρθὸν οὔρισας,
> τὰ νῦν δ' εὔπομπος εἰ δύνᾳ γενοῦ.

Audacissime Hermannus nec cum ulla probabilitatis specie strophicos versus ita refingi voluit:

> ἀλλά μ' ἁ δύσμορος γᾶ φθίνουσα τρύχει,
> καὶ τάδ' εἰ κακοῖς κακά —

Nec probabilius est quod Dindorfius edidit:

> ἀλλά μοι δυσμόρῳ γᾶ φθινὰς
> τρύχει ψυχάν, τάδ' εἰ κακοῖς κακά —

et in antithetico versu:

> ὅστ' ἐμὰν γᾶν φίλαν ἐν πόνοις
> ἀλύουσαν κατ' ὀρθὸν οὔρισας,

hoc tamen nomine laudandus quod *καί* ante *τάδ' εἰ κακοῖς* delevit; at neque *φθινάς* pro *φθίνουσα* dictum probari potest, nec *ἀλύουσαν* vel *σαλεύουσαν*, quod Dobraeus reponi voluit, recte respondet strophico *τρύχει ψυχάν*. Mihi strophici versus, praeter *καί* a Dindorfio deletum, recte scripti esse videntur, vitiumque loci in antistropha latere opinor. Sic autem corrigo:

> ὅστ' ἐμὰν γᾶν φίλαν ἐν πόνοις ἀλοῦσαν
> [δεινοῖς] κατ' ὀρθὸν οὔρισας.

Pro *δεινοῖς* apertum est etiam aliud quid scribi posse, e. c.

> [αὖθις] κατ' ὀρθὸν οὔρισας.

Certum autem est pro *ἀλύουσαν* refingendum esse *ἀλοῦσαν*, quod et metro et sententiae accommodatum est. Tertium antistrophae versum Hermannus ita edidit *τὰ νῦν δ' εὔπομπος εἰ δύναιο*, Bergkius autem sic *τὰ νῦν δ' εὔπομπος εἰ γένοιο*, utrumque insigni audacia et verborum structura nullam ab ele-

gantia commendationem habente, imo ne graeca quidem. Rectissime vero hic versus in libris scriptus est,

τὰ νῦν δ' εὔπομπος εἰ δύνᾳ γενοῦ.

at corruptus est strophicus versus, quem lenissima mutatione cum antistrophicis numeris ita exaequandum conicio:

προσάψει τοῖς πάλαι τὰ πρὸς φίλων.

Ac confirmat hoc ipsum Laur. in quo non *πρὸς σφῷν* scriptum est, sed *προσφωιν* i. e. *πρὸς φί(λ)ων*. Quod Nauckius edidit *τὰ πρόσφατα* per se bonum est, sed longius a traditae scripturae vestigiis recedit. Recte autem dictum esse *ἁλῶναι ἐν πόνοις* non opus est exemplis confirmari.

Vs. 680.

δόκησις ἀγνὼς λόγων ἦλθε· δάπτει δὲ καὶ τὸ μὴ 'νδικον.

Verissime intellexit Nauckius *δάπτει*, *laniat*, asperius dictum esse quam quod loci sententiae conveniat; nec male corrigit *δάκνει*. sed praestat fortasse vix litera mutata scribere *δόκησις ἀγνὼς λόγων ἦλθ', ἰάπτει δὲ καὶ τὸ μὴ 'νδικον.* Quantillum enim *ΗΛΘΕΝΙΑΠΤΕΙ* distat ab *ΗΛΘΕΔΑΠΤΕΙ*? De *ἰάπτειν* neutraliter dicto v. Hermannum ad Aeschyli Agam. 1513. Quod autem non iustas tantum, sed etiam iniustas criminationes laedere dicit, aliam ea de re opinionem Aristoteles sequutus est Rhet. II, 3. *οὐ γίνεται γὰρ ἡ ὀργὴ πρὸς τὸ δίκαιον.* Sed ut nostro loco Sophocles, ita etiam Ai. 1119. *τὰ σκληρὰ γάρ τοι κἂν ὑπέρδικ' ᾖ δάκνει.*

Vs. 711.

χρησμὸς γὰρ ἦλθε Λαΐῳ ποτ', οὐκ ἐρῶ
Φοίβου γ' ἀπ' αὐτοῦ, τῶν δ' ὑπηρετῶν ἄπο.

Nullam hic vim habet particula *γέ* scribendumque puto *Φοίβου*

παρ' αὐτοῦ, mutatione propemodum nulla. Vix dignossac *ΠΑΡ* a *ΓΑΠ*.

Vs. 728.

ποίας μερίμνης ταῦθ' ὑποστραφεὶς λέγεις;

Dindorfius edidit *ὕπο στραφείς*, quo non multum proficitur, nisi doceri potest, *στρέφεσθαι ὑπό τινος* recte dici. Accedit dubitatio de praepositione substantivo suo postposita, quam movit nuper Lehrsius in Fleckeiseni Annal. phil. 1862 p. 310. Blaydesio *ἐπιστραφεὶς* conicienti non favent loci, in quibus *ἐπιστρέφεσθαι* cum genetivo coniunctum est pro *respicere aliquid*, *curam alicuius rei gerere*, quod alienum est ab h. l. Probabilius me iudice conicias *ποίᾳ μερίμνῃ τοῦθ' ὑποστραφεὶς λέγεις*, hoc sensu *qua cura (in aliam partem) conversus*, quod nos dicimus *durch welche Rücksicht umgewandelt*, ut hic etiam, quod innumeris locis factum est, *σ* ex *ἰῶτα* subscripto natum sit.

Vs. 740.

μήπω μ' ἐρώτα· τὸν δὲ Λάϊον φύσιν
τίν' εἶχε φράζε, τίνα δ' ἀκμὴν ἥβης ἔχων.

Turbatam verborum structuram Nauckius ita in ordinem cogere conatus est ut scriberet *τίνος ἀκμὴν ἥβης ἔχων*, Dindorfius autem sic ut pro *εἶχε* coniceret *ἦλθε*. Offenderat res iam Brunckium pro *ἔχων* reponentem *τότε*. Enimvero nihil his coniecturis proficitur, cum id ipsum remaneat, in quo maior etiam quam in turbata constructione offensio est. Quis enim graece loquens *ἥβη* dixit pro *ἡλικία*? Neque enim hoc sciscitari poterat Oedipus, in quo tum iuventutis flore Laius fuerit, sed ad quam tum maxime aetatem pervenisset, ex quo intelligitur *ἥβης* stulti interpolatoris manu post *ἀκμήν* illatum esse. Talium locorum perquam incerta est medela; interim conieci *τίνα δ' ἀκμὴν τότ'*

ἦλϑ' ἔχων. Praeterea Nauckius pro *φύσιν* scribebat *φυήν*, quod ignotum Aeschylo et Sophocli vocabulum est, ab Euripide autem semel tantum in lyrico carmine usurpatum. nec video quo iure poetam reprehendamus, quod ei *φύσιν* de corporis statura dicere placuit. Talia si poetis dicendi veniam negamus, actum est de libero poeticae dictionis motu angustis iam et arctissimis finibus includendae. Et quid aliud quam corporis habitum et staturam *φύσιν* significare dicamus Trach. 308? Respicit item Sophoclis versum Etymol. Vind. nuper editum a Bergkio p. 64, 2. *Φύσις· ἡ οὐσία. καὶ τὸ εἶδος. Σοφοκλῆς. ποταπὸς ἦν τὴν φύσιν.* Haec ut Sophoclea Nauckius recepit inter Fragm. 716. p. 241. At Sophoclis ista certo non sunt; videntur Hermetis esse, cuius haec verba habes apud Stobaeum Ecl. phys. vol. I p. 105, 14. *καὶ ποταπὸν τὴν φύσιν.*

Veram autem vel verae proximam esse quam institui emendandi loci rationem, nescio an etiam ex iis conici possit, quae Iocasta Oedipo respondet:

μέγας, χνοάζων ἄρτι λευκανϑὲς κάρα,
μορφῆς δὲ τῆς σῆς οὐκ ἀπεστάτει πολύ.

In his ad *μέγας* ab omnibus suppleri video *ἦν*, quod in tali orationis conformatione vel in graeco vel in ullo alio sermone recte fieri prorsus incredibile est; nisi forte emendate loqui dicas, si quis, ut hoc utar, in germanica lingua interroganti tibi ‚*welche Gestalt hatte der Mann*'? respondeat ‚*gross*'. Iustam offensionis causam habet etiam hoc, quod de corporis statura interrogata Iocasta plus respondet quam expectabas. Quare vide an Sophocles scripserit:

μέλαν χνοάζων ἄρτι λευκανϑὲς κάρα,

i. e. *χνοάζων τὸ μέλαν κάρα ὥστε ἄρτι λευκανϑὲς γίγνεσϑαι.* Iam vides recte poetam usum esse nominativo, quippe

suspenso ab ἦλθε, quod praecedente versu restitui. Describitur autem quem Graeci dicunt σπαρτοπόλιον, cuius nigris capillis albi interspersi sunt. V. ad Oedipum Col. 1261. Dindorfius edidit partim ex Hartungi coniectura μέγας χνοάζων ἄρτι λευκανθεὶς κάρα. De λευκανθές dixi ad Aiac. 920.

Vs. 763.

κἄπεμψ' ἐγώ νιν· ἄξιος γὰρ οἷ' ἀνὴρ
δοῦλος φέρειν ἦν τῆσδε καὶ μείζω χάριν.

Ita quin recte Hermannus codicis scripturam ὅγ' ἀνήρ emendaverit, dubitari non potest; at ne sic quidem locum perpurgatum esse ostendit vacillans sententia. Quid enim hoc est, *utpote servus vel maiorem gratiam reportare dignus erat*? Servus qua servus nullum habebat gratiae a domino reportandae ius. Nemo haereret si dixisset Iocasta ἄξιος γὰρ ἦν οἷα δοῦλος φέρειν τήνδε τὴν χάριν. perexiguum enim erat quod homo ab Iocasta petiverat; at quum dicit τῆσδε καὶ μείζω χάριν, totam pervertit sententiam. Scholiasta quid in suo libro legerit, non satis intelligi potest ex ea quam adscripsit ad hunc versum annotatione: οἷον τὸ αἴτημα οὐχ ὑπερέβαλε δοῦλον. Si coniecturae locus datur, suspiceris δοῦλος aut ex ἄδολος corruptum esse, aut Sophoclem scripsisse οἷ' ἀνὴρ πιστός, cui δοῦλος interpretationis causa adscriptum fuerit, quod postea in textum illatum est expulso genuino πιστός.

Vs. 814.

κτείνω δὲ τοὺς ξύμπαντας· εἰ δὲ τῷ ξένῳ
τούτῳ προσήκει Λαΐω τι συγγενές —

In secundo versu Bothius probante Dindorfio Λαΐου posuit, oratione non mala illa quidem, sed ad Sophocleam elegantiam non conformata. praestat fortasse εἰ δέ τι ξένῳ τούτῳ

προσήκει Λαΐῳ τε συγγενές. Qui his proxime infertur versus, eum rectissimo iudicio Dindorfius proscripsit.

Vs. 831.

ἀλλ' ἐκ βροτῶν
βαίην ἄφαντος πρόσθεν ἢ τοιάνδ' ἰδεῖν
κηλῖδ' ἐμαυτῷ συμφορᾶς ἀφιγμένην.

Pro *ἰδεῖν* expectes optativum, unde Firnhaber *ἴδοιν* scripsit, quam optativi formam nunc fere iusto cupidius tragicis restitui video. Hoc quidem loco nescio an nihil mutandum sit; nam quum *βαίην* nihil aliud sit quam *γένοιτό μοι βῆναι*, recte inferri potuit infinitivus; nisi dicas *πρόσθεν ἢ* esse idem quod *πρίν*.

Vs. 839.

ἐγὼ διδάξω σ'. ἢν γὰρ εὑρεθῇ λέγων
σοὶ ταὔτ', ἔγωγ' ἂν ἐκπεφευγοίην πάθος.

Pro *πάθος*, quod h. l. ferri non potest, requiras potius nomen *culpam* vel *crimen* significans; quare possis *ἄγος* conicere, quod M. Schmidt proponere memini. At Sophocles scripserat sine dubio *σαφῶς*, quod antiquo more *ΣΑΦΟC* scriptum tu ipse vides quam proclivi errore in *ΠΑΘΟC* abire potuerit. neque opus est verbo *ἐκπεφευγοίην* substantivum adiungi, quod notissimo usu de reis crimine absolutis dicitur.

Vs. 959.

ΑΓ. εὖ ἴσθ' ἐκεῖνον θανάσιμον βεβηκότα.
ΟΙ. πότερα δόλοισιν, ἢ νόσου συναλλαγῇ;

Quod Menandro apud Stobaeum Flor. 37, 5. licuit, ut cum hiatu diceret *εὖ ἴσθ' ἀκριβῶς*, non licuit etiam Sophocli, qui scripsit sine dubio *ἔξισθ' ἐκεῖνον*. Ne semel quidem neque apud Sophoclem neque apud ceteros tragicos legitur *εὖ οἶδα*, sed constanter *ἔξοιδα*, neque *εὖ εἰδώς*, sed *ἐξειδώς*. Video haesisse

iam Porsonum, iusto tamen violentius corrigentem σάφ' ἴσθι, quod etiam propter σάφα v. 958. ferri non potest. In altero versu suspectum habeo δόλοισι. Si quis tibi patrem insperanti mortuum esse nuntiet, non hoc puto sciscitaberis dolone an morbo, sed per vim an morbo occubuerit. Quare suspicor scribendum esse:

πότερα φόνοισιν ἢ νόσου ξυναλλαγῇ;

Vs. 977.

τί δ' ἂν φοβοῖτ' ἄνθρωπος, ᾧ τὰ τῆς τύχης
κρατεῖ, πρόνοια δ' ἐστὶν οὐδενὸς σαφής.

Haec quum non de solo Oedipo, sed de toto humano genere intelligenda sint, clarius patescet sententia, si primo versu pro ᾧ scripseris οἷς.

Vs. 993.

ἢ ῥητὸν ἢ οὐ θεμιτὸν ἄλλον εἰδέναι;

Non repudio quod Brunckio auctore editur ἢ οὐχί, quamquam non minus probabile et ad mutationem forsan etiam lenius fuerit ἦ ῥητόν; ἢ οὐ θέμις τόδ' ἄλλον εἰδέναι;

Vs. 1023.

κᾆθ' ὧδ' ἀπ' ἄλλης χειρὸς ἔστερξεν μέγα;

Satis mire mihi dictum videtur ἀπ' ἄλλης χειρός τινα στέργειν. Ex parte tantum simile est quod legitur Ai. 1229. ἦ που τραφεὶς ἂν μητρὸς εὐγενοῦς ἄπο. In Laur. inter με et γα duas literas erasas esse annotavit Dübnerus. Fuit fortasse ὄν, ut pro μέγα primitus με ὄντα fuisse, ὄντα autem suo loco motum suspiceris. Possis igitur conicere:

κᾆθ' ὧδ' ἀπ' ἄλλης χειρὸς ὄντ' ἔστερξέ με.

Vide tamen ne illud μέγα interpolatoris sit, Sophocles autem scripserit ἔστερξέν μ' ἑλὼν vel ἔστερξέν μ' ἔχων.

Vs. 1236.

ὦ δυστάλαινα. πρὸς τίνος ποτ' αἰτίας;

In his si *αἰτία causa* est (*Anlafs*), apertum est non bene responderi a nuntio *αὐτὴ πρὸς αὑτῆς;* sin hoc interrogat chorus, quonam auctore Iocasta occubuerit, *αἰτίου* potius quam *αἰτίας* expectes. Aut hoc igitur reponendum arbitror, aut *πρὸς τίνος ποτ' ἀθλία.*

Vs. 1276.

ἤρασσ' ἐπαίρων βλέφαρα· φοίνιαι δ' ὁμοῦ
γλῆναι γένει' ἔτεγγον, οὐδ' ἀνίεσαν
φόνου μυδώσας σταγόνας, ἀλλ' ὁμοῦ μέλας
ὄμβρος χαλάζης αἱμάτων ἐτέγγετο.

Pulchre animadvertit Nauckius *ἐπαίρων* non posse alio quam ad *βλέφαρα* trahi, quare *ἤρασσε πείρων* conicit. Ego *ἤρασσ' ἐναίρων* scripserim, *perdens oculos*, ut Homerus dixit *μὴ χρόα καλὸν ἐναίρεο.* Quarto versu nescio an pro *ἐτέγγετο*, quod post *γένει' ἔτεγγον* parum eleganter iteratur, poeta *ἐδεύετο, effundebantur*, scripserit. Respexit fortasse Hesychius *Ἐδεύετο· ἐβρέχετο.* cf. Aiac. 376. *ἐρεμνὸν αἷμ' ἔδευσα.* Pro *ἀνίεσαν, sursum mittebant,* aptius est *ἀφίεσαν, emittebant.* Ceterum ut hic *ὁμοῦ* in duobus tam contiguis versibus repetitur, eodem modo iteratur *ὅμως* Oed. Col. 957.

Vs. 1391.

ἰὼ Κιθαιρών, τί μ' ἐδέχου;

Antoninus Phil. XI, 6. *ὁρᾶτε γὰρ ὅτι οὕτω δεῖ ταῦτα περαίνεσθαι καὶ ὅτι φέρουσιν αὐτὰ καὶ οἱ κεκραγότες ἰὼ Κιθαιρών'.* Similia Arrianus Epict. I, 24.

Vs. 1409.

ἀλλ' οὐ γὰρ αὐδᾶν ἔσθ' ἃ μηδὲ δρᾶν καλόν,
ὅπως τάχιστα πρὸς θεῶν ἔξω μέ που

καλύψατ' ἢ φονεύσατ' ἢ θαλάσσιον
ἐκρίψατ', ἔνθα μήποτ' εἰσόψεσθ' ἔτι.

Minime opus esse secundo versu corrigi *ἔξω με γῆς*, ipse Sophocles docet Elect. 601. *ἔξω — τλήμων Ὀρέστης δυστυχῆ τρίβει βίον* et Oed. Col. 445. *ἔξω πτωχὸς ὠλόμην ἀεί.* Graviorem dubitandi causam habet *καλύψατε*, quod falluntur sine dubio qui ita intelligunt, ut Oedipus obscuro aliquo loco se extra patriam abscondi optet. Atqui id non *καλύπτειν*, sed *κρύπτειν* dici debebat, quae verba etsi origine cognata usus tamen longissime separavit. Sensisse hoc videtur Heathius, *καλύψατε* et *ἐκρίψατε* transponenda esse coniciens, probavitque hoc Nauckius Philol. Gott. XII p. 633. Sed perquam mihi dubitabile videtur, an Sophocles *θαλάσσιον καλύπτειν* pro eo, quod omnes in hac re dicunt, *θαλάσσιον ἐκρίπτειν* ponere voluerit. Mihi, ut dicam quod sentio, totus versus suspectus est, non tantum propter *καλύψατε*, sed etiam propter ea quae statim addita sunt *φονεύσατ' ἢ θαλάσσιον ἐκρίψατε*, quae plane abhorrent ab Oedipi animo, non supplicium sed exilium expetentis. V. 1340. 1436. 1451. 1518. Adde quod subridiculum est hominem mediterraneum optare ut in mare abiciatur. Quare deleto hoc versu lenique mutatione adhibita scribendum suspicor:

ὅπως τάχιστα πρὸς θεῶν ἔξω μέ ποι
ἐκρίψατ', ἔνθα μήποτ' εἰσόψεσθ' ἔτι.

Vs. 1429.

ἀλλ' ὡς τάχιστ' ἐς οἶκον ἐσκομίζετε·
τοῖς ἐν γένει γὰρ τἀγγενῆ μάλισθ' ὁρᾶν
μόνοις τ' ἀκούειν εὐσεβῶς ἔχει κακά.

Hos versus et qui his proxime antecedunt 1423—1428. Nauckius a Creontis oratione separavit et cum Oedipi oratione coniunctos

16*

transposuit post vs. 1415. Nauckio obloquutus est Bonitzius, cuius disputationi quae in Philologo Gott. XII p. 636 sq. opposita sunt, mihi, ut verum fatear, non satisfecerunt: certe postremi tres versus, quos supra adscripsi, Oedipo non conveniunt et necessario Creonti relinquendi sunt. Hunc enim, non Oedipum decebat illa de affinium humanitate et benevolentia admonitio. Oedipo hoc unum in votis erat, non ut in amore suorum acquiesceret, sed ut quam celerrime fieri posset patriam relinqueret. at de reliquis versibus (1424—1428), qui facile loco suo moveri poterant, quum et v. 1416 et 1424. ab *ἀλλά* ordiatur, de his igitur non intercedo quominus Oedipi orationi continuentur, cuius personae sane aptiores sunt quam Creonti. Haec si vera sunt, Creontis oratio his constabit versibus:

οὐχ ὡς γελαστής, Οἰδίπους, ἐλήλυθα,
οὐδ' ὡς ὀνειδιῶν τι τῶν πάρος κακῶν.
ἀλλ' ὡς τάχιστ' ἐς οἶκον ἐσκομίζετε·
τοῖς ἐν γένει γὰρ τἀγγενῆ μάλισθ' ὁρᾶν
μόνοις τ' ἀκούειν εὐσεβῶς ἔχει κακά.

Quorum versuum tertio fortasse *ἐσκόμιζε σέ* scribendum est, ut in Antig. 440. *σὺ μὲν κομίζοις ἂν σεαυτὸν οἷ θέλεις.* Ac ne quis *ὡς τάχιστα* iusto imperiosius dictum existimet, comparandus Aeschylus Prom. 346. *θέλοιμ' ἂν ὡς πλείστοισι πημονὰς τυχεῖν*, ubi *ὡς πλείστοισι* nihil differt ab *ἄλλοις*. Neque *ἀλλά*, quod ut saepe alias pro *οὐ δῆτ' ἀλλά* positum est, praecedentibus iusto abruptius illatum videri debet. Cf. Heimsoeth Addit. ad librum de Crisi Aesch. dram. p. 64. Pro verbis *μάλισθ' ὁρᾶν*, in quibus quo *μάλιστα* referendum sit non assequor, nescio an *μόνοις θ' ὁρᾶν* scribendum sit. Etsi enim illud cum *εὐσεβῶς ἔχει* coniungendum videri potest, ut verba *ὁρᾶν μόνοις τ' ἀκούειν* pro *μόνοις ὁρᾶν καὶ μόνοις ἀκούειν* dicta acci-

piantur, non favet tamen huic rationi locus quo *μάλιστα* positus est. In verbis *τῶν πάρος κακῶν*, quibus manifesto ad ea quae Oedipus modo dixerat respicitur, nihil mutandum est.

Vs. 1436.

ῥῖψόν με γῆς ἐκ τῆσδ' ὅσον τάχισθ', ὅπου
θνητῶν φανοῦμαι μηδενὸς προσήγορος.

Non hoc tantum Oedipus expetebat, ut ab omni hominum commercio intercluderetur, sed ut procul ab hominum consuetudine mortem oppeteret. Itaque scribendum est:

θνητῶν θανοῦμαι μηδενὸς προσήγορος.

Quod verum esse et res ipsa docet et e sequentibus manifesto intelligitur. Creonti enim ad illa Oedipi verba respondenti, se hoc ipsum iam facturum fuisse, nisi antea dei oraculum consulere voluisset, regerit Oedipus:

ἀλλ' ἥ γ' ἐκείνου πᾶσ' ἐδηλώθη φάτις,
τὸν πατροφόντην, τὸν ἀσεβῆ μ' ἀπολλύναι.

Volebat autem in Cithaeronis solitudines transferri ibique mortem oppetere,

ὃν μήτηρ τέ μοι
πατήρ τ' ἐθέσθην ζῶντι κύριον τάφον,
ἵν' ἐξ ἐκείνων, οἵ μ' ἀπωλλύτην, θάνω,

ut ipse vs. 452. loquitur. Quae omnia nullum dubium relinquunt, quin *θανοῦμαι* scribendum sit, non *φανοῦμαι*, quod ne conciliari quidem recte potest cum adiectis *μηδενὸς προσήγορος.*

Vs. 1472.

οὐ δὴ κλύω που πρὸς θεῶν τοῖν μοι φίλοιν
δακρυρροούντοιν;

Ita qui loquitur, indicat opinor non modo praeter expectationem, sed invito se animo audire gemitum filiarum. Cf. Philoct. 1233.

ubi Ulixes Neoptolemo arcum Philoctetae redditure dicit *ὦ Ζεῦ, τί λέξεις; οὔ τί που δοῦναι δοκεῖς;* similiter in Antig. 381. chorus verens ne Antigona criminis convicta sit exclamat *οὐ δή που σέ γ' ἀπιστοῦσαν τοῖς βασιλείοις ἄξουσι νόμοις;* Adde Sophoclem apud Stobaeum Flor. LXXVII, 9. *οὐ δὴ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει;* Ita haec recte iam ante Cobetum correxit Nauckius. Atque sic, ut puto, constanter. V. locos a Cobeto Mnemos. XI p. 228. congestos. Quare vereor ne Sophocles scripserit *ἤδη κλύω που — δακρυρροοῦντοιν;*

Vs. 1494.

τοιαῦτ' ὀνείδη λαμβάνων, ἃ τοῖς ἐμοῖς
γονεῦσιν ἔσται σφῷν θ' ὁμοῦ δηλήματα.

Quid in his vitiosi sit, bene intellexere critici, at neque *τοῖς πάλαι γονεῦσιν*, quod Dindorfius coniecit, neque quod aliis placuit *τοῖς ἐμοῖς γαμβροῖσι*, ullam habet probabilitatis speciem. Mihi scribendum videtur *ἃ τοῖς τέ τοι γονεῦσιν, et parentibus vestris* (Oedipo et Iocastae) *et vobis ipsis.* Nec *τοι* particula sua hic vi caret.

Vs. 1497.

τὴν τεκοῦσαν ἤροσεν,
ὅθεν περ αὐτὸς ἐσπάρη, κἀκ τῶν ἴσων
ἐκτήσαθ' ὑμᾶς ὧνπερ αὐτὸς ἐξέφυ.

Verba *ὅθεν περ αὐτὸς ἐσπάρη* Dindorfius interpretatur *unde ipse prodii a patre satus.* Quod, ut mihi videtur, inauditum brevitatis exemplum foret. Nisi in *ἐσπάρη* vitium latet, coniecerim *ὅπου περ αὐτὸς ἐσπάρη.* Magis tamen placeret si scripsisset poeta:

ὅθεν περ αὐτὸς ἠρόθη.

Cf. vs. 1485. *ἔνθεν αὐτὸς ἠρόθην*. Certe non imiter Nauckii nostri audaciam totum locum ita in brevius arctantis:

τὸν πατέρα πατὴρ
ὑμῶν ἔπεφν', ὅθεν περ αὐτὸς ἐσπάρη,
κἀκτήσαθ' ὑμᾶς ὧνπερ αὐτὸς ἐξέφυ.

Qui quod *ἠρόθη* parum honeste dictum statuit, casu non meminerat multorum similium, quae apud tragicos legerat. Recte autem poeta et consulto eandem sententiam bis ingerit ad augendam opprobriorum atrocitatem.

Vs. 1510.

σφῷν δ', ὦ τέκν', εἰ μὲν εἰχέτην ἤδη φρένας,
πόλλ' ἂν παρῄνουν, νῦν δὲ τοῦτ' εὔχεσθέ μοι
οὗ καιρὸς ἀεὶ ζῆν, τοῦ βίου δὲ λῴονος
ὑμᾶς κυρῆσαι τοῦ φυτεύσαντος πατρός.

Scholiastae Hermannique opinionem *εὔχεσθέ μοι* passiva potestate positum esse pro *εὐχῆς τυγχάνετε ὑπ' ἐμοῦ*, summo iure reiecit praeter alios Dindorfius, quamquam quod ipse coniecit *τοῦτ' εὔχθω μόνον*, vereor ut aliorum assensum laturum sit; nec felicius ab aliis haec tractata sunt. Sophocles quid scripserit hic eius versus docere poterat Aiac. 1023.

καὶ ταῦτα πάντα σοῦ θανόντος ηὑρόμην.

Certa igitur coniectura emendandum est:

νῦν δὲ τοῦθ' εὕρεσθέ μοι.

Versum sequentem item adhuc frustra tentatum ita refinxerim:

οὗ καιρὸς ᾖ ζῆν, τοῦ βίου δὲ λῴονος —

Facillime *ἀεὶ* nasci potuit ex *ᾖ*, quod vetus literatura *EI* scribebat. Aliorum coniecturas, vera lectione reperta, commemorare nihil attinet. Hoc unum monere liceat, nullo pacto eorum rationem probari posse, qui articulo *τοῦ* deleto *ἀεὶ* servandum

censent, quo quid aliud quam vagam et incertam sedem filiabus a patre optari dicamus?

ELECTRA

Vs. 20.

Πρὶν οὖν τιν' ἀνδρῶν ἐξοδοιπορεῖν στέγης,
ξυνάπτετον λόγοισιν· ὡς ἐνταῦθ' ἐμὲν
ἵν' οὐκέτ' ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ' ἔργων ἀκμή.

Nollem extitissent, qui primum versum, neque ad sententiam superfluum vel redundantem, et ad concludendum verborum ambitum necessarium, delere vellent. De verbis *ὡς ἐνταῦθ' ἐμέν* complusculas critici attulerunt coniecturas diligenter ab O. Iahnio collectas, quarum plerasque eam ob causam reicio, quoniam simul sequentis versus initium plus minusve afficiunt. Sophocles mea sententia haec scripserat:

ὡς ἐξήκομεν
ἵν' οὐκέτ' ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ' ἔργων ἀκμή.

Hoc ipsum est quod glossator verbis *ἐνταῦθ' ἐσμέν* explicaverat; *ἐσμὲν* postea a metrico correctore in *ἐμέν* mutatum est. Firmat emendationem ipse Sophocles Trach. 1157.

σὺ δ' οὖν ἄκουε τοὔργον, ἐξήκεις δ' ἵνα
φανεῖς ὁποῖος ὢν ἀνὴρ ἐμὸς καλεῖ,

ubi *ἐξήκεις* nihil aliud est quam *ἐνταῦθ' εἶ*. Etiam infra vs. 1308. *ὅτ' οὖν τοιαύτην ἥμιν ἐξήκεις ὁδόν*, in eandem sententiam poeta dicere potuisset *ὅτ' οὖν ἐνταῦθα ἡμῖν ἐξήκεις.*

Vs. 28.

ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις κἀὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπει.

Irascor viris doctissimis, qui lectionem omnium sanissimam, in qua ne Momus quidem aliquid reprehenderit, pessima scholiastae

scriptura depravarint. Quid enim obsecro in ἕπει non recte dictum est? quod ego quidem vel contra omnium librorum fidem pro ἕσει reponerem. In huiuscemodi locis ἕπεσθαι vix quidquam differt a πονεῖν, neque infrequens eius usus iam apud Homerum est, eodemque refero hoc in Trachin. 1074. ἀλλ' ἀστένακτος αἰὲν εἱπόμην κακοῖς. Cf. Hesychius Ἐπιέψω· ἐπιτελέσω.

Vs. 36.

ἄσκευον αὐτὸν ἀσπίδων τε καὶ στρατοῦ
δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκου σφαγάς.

Manifestum est hoc dici, Oresti absque bellico apparatu dolo poenam ab inimicis repetendam esse. At bellicum apparatum indicari potuisse verbis ἀσπίδες καὶ στρατός, quis tandem sibi persuadeat? Sophocles sine dubio scripserat quod et usus et ratio postulabat:

ἄσκευον αὐτὸν ἀσπίδων τε καὶ δορός.

Horum enim nominum sollennis est apud omnes coniunctio exercitum armatum indicare volentes. Ne longe abeam, ipse Sophocles Oedipo Col. 1311. dixit ξὺν ἑπτά τ' ἀσπίσιν ξὺν ἑπτά τε λόγχαις et 1524. ὥς σοι πρὸ πολλῶν ἀσπίδων ἀλκὴν ὅδε δορός τ' ἐπακτοῦ γειτονῶν ἀεὶ τιθῇ. Achaeus apud schol. Aristophanes Pac. 357. Ἄρης ὁ ληστὴς σὺν δόρει σὺν ἀσπίδι. Aeschylus Suppl. 182. ὑπασπιστῆρα καὶ δορύσσοον λεών. Agam. 465. ἀσπίστορας κλόνους λογχίμους τε. Itaque στρατοῦ glossatoris fuerit explicatio, qua utrumque, ἀσπίδων et δορός, interpretatus erat.

Vs. 42.

οὐ γάρ σε μὴ γήρᾳ τε καὶ χρόνῳ μακρῷ
γνῶσ' οὐδ' ὑποπτεύσουσιν ὧδ' ἠνθισμένον.

De *ἠνϑισμένον* permirae in medium allatae sunt virorum doctorum interpretationes. Rectius alii locum mendosum esse statuunt, ex quibus Bergkio *ἠκισμένον* scribendum videbatur. Quantum ego intelligo, in tota graecitate unum tantum verbum est, quo Sophocles hic apte uti potuit et, ni fallit coniectura, re vera usus est. Scribendum enim est *ἠσκημένον*, quo ipso ad interpretationem editae scripturae usus est scholiasta *δοκεῖ οὖν μοι τὸ ἠνϑισμένον ἀντὶ τοῦ ἠσκημένον.* Nimirum *ἠσκημένον* fuerunt qui per *ἠσϑημένον* explicarent, idque deinceps errore pervulgato in *ἠνϑισμένον* corruptum textuique illatum est. Ceterum ipse Sophocles dixit Oedipo Col. 1603. *λουτροῖς τέ νιν ἐσϑῆτί τ' ἐξήσκησαν ᾗ νομίζεται* et Electr. 452 *ζῶμα τοὐμὸν οὐ χλιδαῖς ἠσκημένον.*

Vs. 51.

ἡμεῖς δὲ πατρὸς τύμβον, ὡς ἐφίετο,
λοιβαῖσι πρῶτον καὶ καρατόμοις χλιδαῖς
στέψαντες κ. τ. ἑ.

Si quis quaerat qui sit ille *ἐφιέμενος*, per grammaticam loci rationem non alium reperiet quam Agamemnonem, quod quum absonum sit, recte critici deum Delphicum intellexerunt. Atqui de Delphico deo quum inde a versu 35. ne unum quidem verbum dictum sit, vix dubitari potest, quin verissima sit emendatio Wunderi ab editoribus nescio quo modo neglecta. Is igitur *ΕΦΗΘΕΟϹ* pro *ΕΦΙΕΤΟ* scribendum coniecit, emendatione egregia et literarum ductus presse consectante. Absterso enim, ut fieri solet, *C* finali, quae remanebant literae *ΕΦΗΘΕΟ* facillimo errore abierunt in *ΕΦΙϹΤΟ*. Quae a Schneidewino editae scripturae tutandae causa allata sunt, prorsus *ἀπροσδιό-*

νυσα, ea Nauckium in nova huius fabulae editione omissurum speramus.

Vs. 162.

δέξεται εὐπατρίδαν Διὸς εὔφρονι
βήματι μολόντα τάνδε γᾶν Ὀρέσταν.

Frustra haec explicare conatus est Wunderlich ad Virgilii Ecl. IV. 49. nec melius scholiastes, qui *βῆμα* pro *πομπή* dictum esse alucinatur; rectius sine dubio ii, qui vitium in *βήματι* inesse statuunt, neque male Burgesius *νεύματι* coniecit. Verum tamen quum haec iusto violentior sit mutatio, vide ne lenissima mutatione scribendum sit *λήματι*, *benevolo Iovis animo*. Quamquam enim *λῆμα* fere de audacia vel temeritate dici constat, nihil tamen obstat quominus a Sophocle propria ac primaria significatione, quam verbum *λάω* indicat, positum esse credamus, id quod etiam ab Aeschylo factum est in Sept. c. Th. 706. *δαίμων λήματος ἐν τροπαίᾳ — ἴσως ἂν ἔλθοι θαλερῷ πνεύματι.* Recte igitur explicat Hesychius *Λῆμα· βουλή, βούλημα*, qui similem locum ob oculos habuit. Eandem vocem, quamquam usitata et vulgari significatione, restitui Aeschylo Sept. 1060. ubi vulgo legitur *ἀλλὰ φοβοῦμαι κἀποτρέπομαι δεῖμα πολιτῶν.* Scribe *λῆμα*, *animositatem*.

Vs. 166.

δάκρυσι μυδαλέα, τὸν ἀνήνυτον
οἶτον ἔχουσα κακῶν.

Paulo insolentius et contra usum dixit *οἶτον κακῶν* de miseriarum sorte quae Electrae obtigerat: alias enim *οἶτον ἔχειν* ita dicitur, ut addito genetivo indicetur is, cuius sortem aliquis habere dicitur, ut *ὀλολυγόνος οἶτον ἔχειν*. V. ad Callimachum p. 261. Itaque nisi exquisitiora captans poeta a communi usu declinavit,

locus fortasse rectius ita explicabitur, ut Electra maleficorum dirissimis poenis coercitorum sortem se habere dicat.

Vs. 192.

κεναῖς δ' ἀμφίσταμαι τραπέζαις.

Laur. a prima m. ἀφίσταμαι habet, quod a m. recenti in ἐφίσταμαι mutatum est; et sic apographa praeter Lb, in quo ἀμφίσταμαι habetur, legitque ita etiam Eustathius. Commendat hoc sane strophicus versus:

ποθῶν δ' οὐκ ἄξιοῖ φανῆναι.

Nollem tamen hoc sequuti essent recentiores critici. Quis enim unquam mortalis natus mensam sive quadratam sive rotundam ab omni parte circumstare substinuit? nisi forte Cagliostro, famosissimo praestigiatori, similis fuit, uno eodemque horae momento per universas Parisiorum portas quadrigis erumpenti. Ineptissime igitur in Sophoclis loco ἀμφίσταμαι dictum est, nec dubitandum quin ἐφίσταμαι unice vera scriptura sit, cui ne strophicus versus obsit, corrigendum puto:

ποθῶν δ' ἀπαξιοῖ φανῆναι.

Ac ne dubites, ad hunc ipsum versum referenda est glossa Hesychii Ἀπαξιοῖ· οὐκ ἄξιοῖ, ὑπερηφανεύεται. Quod Schneidewinus voluit κοινᾶς δ' ἀφίσταμαι τραπέζας, inutile est et novum metro infligit vulnus.

Vs. 187.

ἅτις ἄνευ τοκέων κατατάκομαι,
ἇς φίλος οὔτις ἀνὴρ ὑπερίσταται.

Quamquam matrem Electra in nullo loco habet, per tamen mirum est eam se parentibus orbatam esse dicere. Nec de nihilo est τοκεῖς hoc uno loco Sophoclis legi, Aeschylo contra ne semel quidem γονεῖς dicente. Praeterea ipsum verbum κατα-

τάκομαι ostendere videtur, non τοκέων scripsisse Sophoclem, sed τεκέων. Similes innuptarum querellas v. Antig. 810. 867. cf. Oedip. Tyr. 1502.

Vs. 221.

ἐν δεινοῖς ἠναγκάσθην ἐν δεινοῖς.
ἔξοιδ'· οὐ λάθει μ' ὀργά.

Metro auxilium laturus Brunckius bis praepositionem ἐν delevit, Bergkius autem scripsit:

ἐν δεινοῖς ἐζεύχθην δεινοῖς.

At sententia quid requirat consideranti neque ἀναγκάζεσθαι neque ζευχθῆναι hic recte dictum esse apparebit. Chorus accusat Electram, quod asperitate sua animique impotentia tristissima sibi mala pepererit. Ad haec respondere Electram non potuisse id quod nunc respondet, ostendunt quae his statim subicit verba ‚scio, neque fugit me animi mei impotentia'. Expectes potius aliquid in hanc sententiam dictum ‚fateor me nimiam esse in odio adversus matrem', quibus iam recte subiungi potuit ἔξοιδ'· οὐ λάθει μ' ὀργά. Itaque et metrum et sententiam ita restituendam esse conicio:

δεινῶς ἠγάσθην ἐν δεινοῖς,

i. e. δεινῶς ὠργίσθην, ἐθρασύνθην. Hesychius Ἤγαστο· ἐνεμέσησεν, ὠργίσθη. Aeschylus Suppl. 1062. τὰ θεῶν μηδὲν ἀγάζειν, quo leniter calamitates a diis immissas ferendas esse chorus admonetur. Denique grammaticus Bekkeri Anecd. p. 336, 6. Ἀγάζεις· ἀντὶ τοῦ θρασύνεις. Σοφοκλῆς.

Vs. 230.

τάδε γὰρ ἄλυτα κεκλήσεται.

Ad haec verba refero glossam Hesychii Ἄλυτον· ἀκατάλλυτον. Σοφοκλῆς ἰνεῖ, in qua ΙΛΕΙ Dindorfio ex Οἰνεῖ, quo nomine

nulla fuit Sophoclis fabula, mihi ex *ΠΛΕΚ*, i. e. *Ἠλέκτρᾳ*, corruptum videtur. Pro *ἀκατάλλυτον* forsan *ἀκατάληκτον* scribendum.

Vs. 277.

ἀλλ' ὥσπερ ἐγγελῶσα τοῖς ποιουμένοις
εὑροῦσ' ἐκείνην ἡμέραν, ἐν ᾗ τότε
πατέρα τὸν ἁμὸν ἐκ δόλου κατέκτανεν,
ταύτῃ χοροὺς ἵστησι.

Εὑροῦσα Wunderus interpretatur *ubi computando invenit*; recte, modo ne illud *computando* arbitrarie intulisset. Mihi etiamnunc verum videtur quod conieci olim et Bergkius recepit *τηροῦσ' ἐκείνην ἡμέραν*, cui Nauckius praefert *φρουροῦσα*. Utrumque recte dici constat, at facilius tamen *ΤΗΡΟΥϹΑ* quam *ΦΡΟΥΡΟΥϹΑ* ex *ΕΥΡΟΥϹΑ* nascitur. *τοῖς ποιουμένοις* si vitiosum esset, lenius quam *πεπραγμένοις* corrigas *τελουμένοις*, quod pro *τετελεσμένοις* dixit Sophocles infra v. 1344. At recte habet *τοῖς ποιουμένοις*, quae de iis intelligenda sunt, quae cum maxime Clytaemnestra agebat.

Vs. 285.

οὐδὲ γὰρ κλαῦσαι πάρα
τοσόνδ' ὅσον μοι θυμὸς ἡδονὴν φέρει.

Elegans est Nauckii coniectura *ἔχει* pro *φέρει* scribentis. Videtur tamen servari posse librorum scriptura, si *ἡδονὴν φέρειν* interpreteris per *ἥδεσθαι*, ut *κέρδος φέρειν* est *κερδαίνειν*. Itaque sensus idem est *quantum lacrimare animo meo volupe est*. Sed ne quid dissimulem, non mediocriter favet Nauckii correctioni Pherecrates in Fragm. Com. graec. vol. II p. 326. *σοί τε γὰρ κλύειν ἐμοί τε λέξαι θυμὸς ἡδονὴν ἔχει*. Quem locum mihi Hauptius indicavit.

Vs. 312.

ἦ κάρτα· μὴ δόκει μ' ἂν εἴπερ ἦν πέλας
θυραῖον οἰχνεῖν· νῦν δ' ἀγροῖσι τυγχάνει.

Verba *ἦ κάρτα* referunt vulgo ad praecedentia *ἦ βεβῶτος ἐκ δόμων Αἰγίσθου.* at vereor ne *ἦ κάρτα* in responsionibus non magis graece dictum sit quam *ἦ μάλα* pro *καὶ μάλα.* Quare aut *καὶ κάρτα* scribendum puto, aut quod expeditius est, coniungenda est oratio *ἦ κάρτα μὴ δόκει με,* ut Trach. 379. *ἦ κάρτα λαμπρὰ καὶ κατ' ὄμμα καὶ φύσιν.* Aiac. 1359. *ἦ κάρτα πολλοὶ νῦν φίλοι.* Electr. 1278. *ἦ κάρτα κἂν ἄλλοισι θυμοίμην ἰδών.* Aeschylus Suppl. 452. *ἦ κάρτα νείκους τοῦδ' ἐγὼ παροίχομαι.* Agam. 592. *ἦ κάρτα πρὸς γυναικὸς αἴρεσθαι κέαρ.* ib. 1252. *ἦ κάρτα τἄρ' αὖ παρεκόπης χρησμῶν ἐμῶν.* Choeph. 929. *ἦ κάρτα μάντις οὑξ ὀνειράτων φόβος.*

Vs. 323.

πέποιθ', ἐπεὶ τἂν οὐ μακρὰν ἔζων ἐγώ.

Desidero aliquid ad orationis integritatem. Sophocles sine dubio scripserat *οὐ μακρὰν ἔζων ἔτι.* Ita omnes in omnibus linguis loquuntur. *ΕΤΙ* et *ΕΓΩ* facillime unum pro altero ponuntur.

Vs. 336.

καὶ μὴ δοκεῖν μὲν δρᾶν τι, πημαίνειν δὲ μή.
τοιαῦτα δ' ἀλλὰ καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν.

Non debebant sollicitari verba *πημαίνειν δὲ μή,* in quibus nihil est quod non rectissime dictum sit. Nec magis alter versus in corruptelae suspicionem vocandus erat. Differt quidem hic locus ab aliis, in quibus *ἀλλά* postponitur, ab Elmsleio ad Euripidis Heracl. 565. collectis; nihil tamen mutandum censeo. Verte *talia*

vero at te quoque facere volo, quae cum insigni brevitate dicta sunt; plena oratio haec esset *τοιαῦτα δ' οὐκ ἐγὼ μόνον ποιῶ, ἀλλὰ καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν.*

Vs. 341.

δεινόν γέ σ' οὖσαν πατρός, οὗ σὺ παῖς ἔφυς,
κείνου λελῆσθαι, τῆς δὲ τικτούσης μέλειν.

Non imiter corrigentes *δεινόν σε φῦσαν*, quippe hoc proprium Sophocleae dictionis est, eandem notionem eodem in versu diversis nominibus efferre, e. c. in Oedipo R. 54. non dixit quamvis poterat *εἰ γὰρ κρατήσεις τῆςδε γῆς, ὥσπερ κρατεῖς*, sed *εἴπερ γὰρ ἄρξεις*, nec in Aiac. 647. *φαίνει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται*, sed *φύει τ' ἄδηλα*, prorsus ut Oed. Col. 1225. *μὴ φῦναι — τὸ δ' ἐπεὶ φανῇ*. Cf. Oedipus Col. 1501. Phil. 808. Trach. 279.

Vs. 363.

ἐμοὶ γὰρ ἔστω τοὐμὲ μὴ λυπεῖν μόνον
βόσκημα, τῆς σῆς δ' οὐκ ἐρῶ τιμῆς τυχεῖν.

Falluntur qui *βόσκημα* alio sensu quam figurate dictum esse arbitrantur; tibi, inquit, vita omnibus bonis affluat, meus hic unus victus, mea haec una voluptas (*Labsal*) esto, ut ne me ipsa laedam, quod faceret si matris odio renuntiaret. Fatendum tamen hoc iusto lenius dictum esse pro impotenti Electrae animo; nec sufficit quod Canterus coniecit *τοὐμὲ μὴ λιπεῖν μόνον*, hoc sensu, ut ne a me ipsa desciscam. Quare nescio an altius vitium lateat; nec dubitari potest quin multo accommodatius ad sententiam et efficacius poeta scripsisset *τοὐμὲ πληπαθεῖν μόνον.*

Vs. 433.

οὐδ' ὅσιον ἐχθρᾶς ἀπὸ γυναικὸς ἱστάναι
κτερίσματ' οὐδὲ λουτρὰ προσφέρειν πατρί.

ἀλλ᾽ ἢ πνοαῖσιν ἢ βαθυσκαφεῖ κόνει
κρύψον νιν, ἔνθα μήποτ᾽ εἰς εὐνὴν πατρὸς
τούτων πρόσεισι μηδέν.

Versu quarto nemo admonitus dubitabit quin non *ἔνθα*, sed *ἔνθεν* a poeta scriptum sit. Versu primo *ἀπό*, quod Laur. omittit, a metrico correctore additum videtur; facilius post *ἐχθρᾶς*, nisi id ex *ἐχθίστης* corruptum est, suppleas *ἐκ*, quod in hunc sensum accipi potest, ut sit aut *iussu infestae mulieris*, aut *acceptas ab infesta muliere inferias statuere.* Neque desunt apud Sophoclem utriusque significationis exempla. At fortasse mutato verborum ordine scribendum praeeunte Nauckio *ἐχθρᾶς ἱστάναι κτερίσματα γυναικός*, quamquam rari sunt in Sophoclis libris errores verborum transpositione nati. Versu tertio Heathius *ῥοαῖσιν* scribi voluit, quod Nauckio ita placuit, ut id in verborum ordinem receperit. Ecquis autem aliquid in futuros usus servaturus in aqua id abscondat? Certum est Electram nihil aliud dicere potuisse quam hoc, *aut perde inferias aut, si mavis, pulvere obrue matrique serva.* Perspicuitatis causa addidi *si mavis*, ut Nauckii dubitationi occurrerem: *Die Gaben sollen für die Klytaemnestra aufbewahrt werden: wie ist das möglich, wenn die Winde sie davontragen?* Nimirum *σωζέσθω κάτω* tantum ad *βαθυσκαφεῖ κόνει* spectat, quod eo minus habet in quo quis offendat, quum totum hoc de asservandis in Clytaemnestrae usum inferiis acerbam ironiam spiret. Zeugmatis usus latissime patet, ac quamquam viri docti mirum quantum hoc nomine abutuntur, minime tamen dubitari potest, quin hoc loco ad *πνοαῖσι* e *κρύψον* accomodatum rei verbum assumendum sit: *πνοαῖσι* cum dicebat poeta, additurus erat *ῥῖψον* vel similis potestatis verbum, at ille *κρύψον* dixit, quippe quod melius cum *βαθυσκαφεῖ κόνει* congruere intelligeret.

Vs. 466.

δράσω· τὸ γὰρ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον
δυοῖν ἐρίζειν, ἀλλ' ἐπισπεύδειν τὸ δρᾶν.

Non debebat probari Stobaei scriptura *ἐπισπεύδει*. ad infinitivum ex praecedentibus *οὐκ ἔχει λόγον* assumendum *δεῖ*, qui frequentissimus dicendi usus est. Scribendum autem *ἐπισπέρχειν*, ut scite animadvertit M. Schmidt, Hesychii glossa usus *Ἐπισπέρχειν· ἐπισπεύδειν*, quae quin ad h. l. referenda sit non dubito. Cf. Aeschyli Sept. 689. *τὸ πρᾶγμ' ἐπισπέρχει θεός*, ubi schol. *ἐπισπεύδει*. Sensum verborum optime indicavit scholiastes, quo magis miror utrumque versum in *νοθείας* suspicionem adductum esse, quae prorsus temeraria est nulloque fundamento nixa opinatio.

Vs. 471.

ὡς εἰ τάδ' ἡ τεκοῦσα πεύσεται, πικρὰν
δοκῶ με πεῖραν τήνδε τολμήσειν ἔτι.

Hoc non minus vitiose dictum est, quam si latine dicas *videor me ausuram esse*. Neque pertinent huc loci quales attigi ad Oedipum Col. 1209. Apertum esse opinor Sophoclem scripsisse:

δόκει με πεῖραν τῶνδε τολμήσειν ἔτι.

Vs. 495.

πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει
μήποτε μήποθ' ὑμῖν
ἀψεγὲς πελᾶν τέρας
τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν· ἤτοι μαντεῖαι —

Recepi Reiskii emendationem *ὑμῖν* pro *ἡμῖν*. Pro *τέρας* autem, quod de Clytaemnestrae somnio interpretantur, scribendum conicio *γέρας* hoc sensu: confido nunquam vobis, facinoris auctori-

bus, non vituperandum praemium eventurum esse. Cum simili ironiae colore γέρας posuit Sophocles Oed. Col. 1396. τοιαῦτ' ἔνειμε παισὶ τοῖς αὑτοῦ γέρα, de diris quibus Oedipus filios devoverat. ἀψεφές, quod Bergkius et Dindorfius pro ἀψεγές poni voluerunt, reicio. πρὸ τῶνδε, quod item fuerunt qui de vitio suspectarent, non differre puto ab ὑπὲρ τῶνδε, *harum rerum causa*, *horum facinorum ulciscendorum gratia*, simili praepositionis usu, quo dixit noster Oed. R. 134. πρὸ τοῦ θανόντος τήνδ' ἔθεσθ' ἐπιστροφήν, i. e. ἕνεκα τοῦ θανόντος, *in gratiam occisi*. nec dispar ratio Electr. 1334. εὐλάβειαν τῶνδε προυθέμην, i. e. πρὸ τῶνδε εὐλάβειαν ἐθέμην. Neque ἔχει με corruptum esse dixerim, recteque explicare videntur qui pro παρίσταταί μοι dictum putant. Quarto versu ex Laur. recipiendum erat ἤ τοι.

Vs. 565.

ἢ 'γὼ φράσω· κείνης γὰρ οὐ θέμις μαθεῖν.

Neque hic versus suspectandus erat, neque sequentibus, in quibus παίζων de venante recte dictum esse vel lexica monstrare poterant, interpolationis suspicio moveri debebat. Inverecundum erat mortalem ex dea causam irae sciscitari.

Vs. 578.

οὐ γὰρ ἦν λύσις
ἄλλη στρατῷ πρὸς οἶκον οὐδ' εἰς Ἴλιον.

Ne commemorarem quidem infelicem Wunderi coniecturam οὐ γὰρ ἤλυσις ἄλλη στρατῷ πρὸς οἶκον οὐδ' ἦν Ἴλιον, nisi ea recentissimorum editorum non modo assensum tulisset, sed adeo in verborum ordinem recepta esset. Constat λύειν de navibus solvendis dici. quid igitur reprehendendum in librorum scriptura?

Vs. 585.

εἰ γὰρ θέλεις, δίδαξον ἀνθ' ὅτου τανῦν
αἴσχιστα πάντων ἔργα δρῶσα τυγχάνεις.

Formula εἰ θέλεις, qua bis terve Sophocles usus est, quo sensu h. l. posita sit, nemo facile dicat, qui quid sententiarum ordo et series requirat perspexerit. Recte omnia habebunt si scripseris εἰ γὰρ θέμις, qua dictione utuntur, qui reverentia vel pudore tacti aliquid vel ipsi eloqui vel ex aliis audire verentur.

Vs. 601.

ὁ δ' ἄλλος ἔξω χεῖρα σὴν μόλις φυγὼν
τλήμων Ὀρέστης δυστυχῆ τρίβει βίον.

Mirifice dictum ὁ δ' ἄλλος nescio an vitium alat. Fortasse scribendum ὁ δ' ἀμός, *at meus ille infelix Orestes.* Fateor tamen hoc quoque esse duriusculum.

Vs. 641.

μὴ σὺν φθόνῳ τε καὶ πολυγλώσσῳ βοῇ
σπείρῃ ματαίαν βάξιν εἰς πᾶσαν πόλιν.

Recte opinor me in Philologo Gott. 1857 p. 603. ad hunc Sophoclis locum rettulisse glossam Hesychii **Παλιγγλώσσῳ·** βλασφήμῳ, idque ipsum pro πολυγλώσσῳ poetae restituendum esse dixi. Est autem hoc altero ad h. l. accommodatius. Cf. Aeschylus Sept. 258. παλινστομεῖς αὖ θιγγάνουσ' ἀγαλμάτων, quamquam id paulo aliter dictum est. Eandem emendationem Bergkius adhibuit vs. 798. εἰ τήνδ' ἔπαυσας τῆς πολυγλώσσου βοῆς, de quo loco infra dixi.

Vs. 697.

καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦθ'· ὅταν δέ τις θεῶν
βλάπτῃ, δύναιτ' ἂν οὐδ' ἂν ἰσχύων φυγεῖν.

Ad *ἰσχύων*, si *δύναιτ᾽ ἂν* recte scriptum est, aegre careas articulo. cf. Aiac. 451. *εἰ δέ τις θεῶν βλάπτοι, φύγοι τἂν χὠ κακός*. Itaque *δύναι᾽ ἂν* scribendum est. In Laur. post *αι* duae vel tres literae erasae, ut *δυναίοτο* scriptum fuisse videatur, i. e. *δύναιο* (*το* superscr.).

Vs. 739.

ἠλαυνέτην τότ᾽ ἄλλος, ἄλλοθ᾽ ἅτερος.

Non probari potest quod coniecit vir doctus *ὅδ᾽ ἄλλοτ᾽, ἄλλοθ᾽ ἅτερος*, quod ne graecum quidem; nec felicius alius vir doctus voluit *αὐτός* pro *ἄλλος*. Et quid opus est corrigi quae sana sunt? De *ἄλλος* — *ἕτερος* pro *ἄλλος* — *ἄλλος* dicto v. ad Callimachum p. 7.

Vs. 743.

ἔπειτα λύων ἡνίαν ἀριστερὰν
κάμπτοντος ἵππου λανθάνει στήλην ἄκραν
παίσας.

Orestes metam circumvecturus sinistram habenam adstringere debebat, ut equus certo itinere institutum cursum teneret; at laxabat illam aliquantulum, non consilio, sed casu, quo factum est ut equus metam stringeret. Ita si haec capias, non video quid difficultatis insit loco, multis multorum coniecturis pessime depravato. Scholiasta, qui ad *λύων* adscripsit *χαυνῶν διὰ τὸ συμπεπλέχθαι*, plus scivit quam scire potuit.

Vs. 761.

τοιαῦτά σοι ταῦτ᾽ ἐστίν, ὡς μὲν ἐν λόγῳ
ἀλγεινά, τοῖς δ᾽ ἰδοῦσιν, οἵπερ εἴδομεν,
μέγιστα πάντων ὧν ὄπωπ᾽ ἐγὼ κακῶν.

Dindorfius verbis *οἵπερ εἴδομεν* indicare paedagogum existimat se ipsum fuisse inter eos qui vidissent. Multo minus scripsisse

poetam credo quod Nauckius coniecit *τοῖς παροῦσι δ' οἷπερ εἴδομεν*. Sophocles scripserat sine dubio *τοῖς δ' ἰδοῦσιν, ὥσπερ εἴδομεν*, quemadmodum haec in nonnullis apographis recte emendata sunt.

Vs. 797.

πολλῶν ἂν ἥκοις ὦ ξέν' ἄξιος τυχεῖν,
εἰ τήνδ' ἔπαυσας τῆς πολυγλώσσου βοῆς.

Nollem O. Iahnius noster recepisset Wunderi coniecturam, neque ad sensum aptam neque propter optativum *παύσαις* probandam; constanti enim et perpetuo usu Sophocles *ειας* et *ειεν* dicit, nunquam *αις* et *αι*, nisi quod semel Oed. Tyr. 446. legitur *ἀλγύναις*, quod *ἀλγύνοις* scribendum est. Eadem forma male ex Schneidewini coniectura illata est in vs. 801. *οὔτ' ἐμοῦ καταξίως πράξαις ἂν οὔτε τοῦ πορεύσαντος ξένου*, ubi vulgo *πράξειας* editur, quod recte tenuit Bothius, *καταξίως* in *κατάξι' ἂν* mutato, nisi cum Bergkio malis *καταξίως πράξειας οὔτ' ἄν*. Male item Oed. Col. 1533. coniectum est *τήνδ' ἂν οἰκήσαις πόλιν* pro *τήνδ' ἐνοικήσεις πόλιν*, et Oed. Col. 219. *ταχύναις* pro *ταχύνετον*. Neque in Antig. 505. *ἐγκλῄσαι* scribendum pro *ἐγκλείσοι*, sed *ἐγκλῄοι*. Pro *πολυγλώσσου* olim hic *πολυσπέρχου* scriptum fuisse ex Hesychio ostendere conatus sum in Philol. Gott. vol. XIII p. 551.

Vs. 846.

οἴδ', οἴδ'· ἐφάνη γὰρ μελέτωρ
ἀμφὶ τὸν ἐν πένθει.

Vocem *μελέτωρ* scholiasta explicat *ὁ ἐπιμελούμενος τοῦ ἐν τῷ φόνῳ, τουτέστι τιμωρὸς τοῦ πατρός*, recte ad sensum; at vix credibile est *μελέτωρ* dixisse Sophoclem, quod ex analogiae lege

μελήτωρ dicendum erat. Advertit res etiam Nauckium, sed invito, ut equidem opinor, poeta conicientem, *ἐφάνη μητρολέτωρ*, quod ut alia mittam etiam ob hanc causam probari non potest, quod recte quidem *μελήτωρ ἀμφί τινα φανῆναι* dici potest, at minime *μητρολέτωρ*. Fortasse scribendum est *νεμέτωρ*, quod ne quis eodem quo *μελέτωρ* vitio laborare dicat, meminerit non tantum *ἐνεμήθην* dictum fuisse, sed etiam, et ab Atticis fortasse semper, *ἐνεμέθην*. Ac habet *νεμέτωρ* ipse Aeschylus Sept. 485. *Ζεὺς ἐπίδοι νεμέτωρ κοταίνων*. Verba *ἀμφὶ τὸν ἐν πένθει*, quae de Alcmaeone intelligenda sunt, per *τὸν ἐν τῷ φόνῳ* satis mire interpretatur scholiasta. Interfecti queruntur lugentque omissam vindictam. V. Aeschyli Choeph. 300. 330. At praestat fortasse haec passivo sensu interpretari de eo qui ab aliis lugetur, atque ita eadem verba etiam v. 282. accipienda videntur.

Quae his proxime subiciuntur Electrae verba sanequam obscura, de iis recentiores critici, ut eorum mos est, non inspexerunt, certe non expenderunt annotationem Hermanni, qui ante refellendus erat quam nova tentarentur; nec me ipsum culpa vacuum profiteor, qui olim haec importunis coniecturis vexaverim. Puros spondeos requiri antistrophicus versus ostendit evidentissime.

Vs. 887.

τίν' ὦ τάλαιν' ἔχουσα πίστιν; ἐς τί μοι
βλέψασα θάλπει τῷδ' ἀνηκέστῳ πυρί.

Assentior Nauckio et Bergkio *ἀνηκέστῳ* corruptum esse statuentibus, iisdem *ἀνηφαίστῳ* corrigentihus accedere dubito. Commodissimum esset *ἀνελπίστῳ*, sed sufficit opinor *ἀνεικάστῳ πυρί* scribere, i. e. *igne inopinato*. In Aiac. 52. pro *ἀνηκέστου χαρᾶς* apographa habent *ἀνεικάστου*. Hoc certum est, *ἀνή-*

κεστον πῦρ, quo *insanabilis* ignis indicaretur, non ferendum esse.

Vs. 913.

ἀλλ' οὐδὲ μὲν δὴ μητρὸς οὔϑ' ὁ νοῦς φιλεῖ
τοιαῦτα πράσσειν, οὔτε δρῶσ' ἐλάνϑανεν.

Versu secundo Laur. ἐλάνϑάν, apographa ἐλάνϑανεν, Heathius ἐλάνϑαν' ἄν, cui notum est quid opposuerit Elmsleius ad Medeam 416. qui ipse corrigit ἂν ἔλαϑέν ἄν, quae parum verisimilis coniectura est. Equidem suspicor scribendum esse ἔληϑεν ἄν, cuius glossema est ἐλάνϑανεν. Hesychius Λήϑω· λανϑάνω. Etymol. M. p. 564, 17. τὸ λήϑω, τὸ λανϑάνω.

Vs. 918. 956.

νῷν δ' ἦν τὰ πρόσϑε στυγνός· ἡ δὲ νῦν ἴσως
πολλῶν ὑπάρξει κῦρος ἡμέρα καλῶν.

Nullum hic locum esse credo particulae δέ scribendumque opinor νῷν ἦν. In sequentibus (956)

ξὺν τῇδ' ἀδελφῇ μὴ κατοκνήσεις κτανεῖν,

corrigendum videtur:

ξὺν τῇδ', ἀδελφή, μὴ κατοκνήσεις κτανεῖν.

Demonstrativo enim cum nomine coniuncto pro ἐγώ non utitur Sophocles nisi in tralaticia compositione ὅδ' ἀνήρ, τοῦδε τἀνδρός etc. ἀδελφή in alloquutione habes vs. 461.

Vs. 968.

πρῶτον μὲν εὐσέβειαν ἐκ πατρὸς κάτω
ϑανόντος οἴσει τοῦ κασιγνήτου ϑ' ὁμοῦ.

Fortasse falli dicar, si πατρὸς κάτω ϑανόντος nihil aliud significare dicam quam *patris qui apud inferos mortuus est*; cui si quis κάτω traiectum esse obvertat, ut sensus sit *infra a patre mortuo pietatis laudem feret*, hoc fateatur necesse est, alterutrum de

duobus, aut κάτω aut θανόντος, moleste abundare. vereor igitur ne corruptela lateat, nec male legeretur ἐκ πατρὸς κάτω κεύθοντος. Cf. Antig. 902. μητρὸς δ' ἐν ᾅδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν. Oedipus R. 968 ὁ δὲ θανὼν κεύθει κάτω δὴ γῆς. Ai. 632. ᾅδᾳ κεύθων, ubi schol. τεθνηκώς, unde suspicor θανόντος ex glossa interlineari in textum illatum esse. Nisi forte κάτω ναίοντος poeta scripsit, ut vs. 1158. κάτω ναίω τὸ λοιπόν.

Vs. 1030.

μακρὸν τὸ κρῖναι ταῦτα χὠ λοιπὸς χρόνος.

Non intelligitur quo καὶ in verbis χὠ λοιπὸς χρόνος referendum sit, quare pro χὠ scribendum suspicor νώ.

Vs. 1091.

ζῴης μοι καθύπερθεν
χειρὶ καὶ πλούτῳ τῶν ἐχθρῶν.

Libri χερί, ut dubitari possit praestetne χερσί scribere; χειρί ex Eustathio receptum est. articulum ut saepe alias possessivi vices obtinentem non dixerim intolerabilem esse, quae Hermanni opinio est τεῶν pro τῶν ponentis, qua forma quum subdubitari possit an non usus sit Sophocles, fortasse scribendum:

χερσὶ καὶ πλούτοισι τῶν ἐχθρῶν.

Neque ea operosa est emendatio, si antiquam scribendi rationem *ΠΛΟΥΤΟΙ* fuisse cogites. Plurali πλοῦτοι optimi quique Atticorum scriptores usi sunt. De τεός dixi Symbolis criticis ad Antig. p. 19.

Vs. 1146.

οὔτε γάρ ποτε
μητρὸς σύ γ' ἦσθα μᾶλλον ἢ κἀμοῦ φίλος.

οὔθ᾽ οἱ κατ᾽ οἶκον ἦσαν, ἀλλ᾽ ἐγὼ τροφός,
ἐγὼ δ᾽ ἀδελφή σοι προσηυδώμην ἀεί.

Non laudabili socordia haec sine animadversione praeterierunt interpretes, quorum nullus attendit, φίλος ubi *carus* significat non posse cum genetivo coniungi; debebant igitur, si φίλος hic recte legitur, dativos ponere μητέρι σύγ᾽ — ἢ κἀμοί. Nam *amicus* Clytaemnestrae et Electrae profecto Orestes tenerrimae aetatis puer appellari non potuit. nec fugit hoc scholiastam, cuius haec est annotatio: οὐ γὰρ ἧς, φησί, τῆς μητρός ποτε ἢ καὶ ἐμοῦ μᾶλλον, ἵνα ἐπὶ ἦσθα διαστείλωμεν· οὐκ ἦσθα τῆς μητρός, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ ἐμοῦ· οἷον, ἐγώ σοι μᾶλλον ἤμην μήτηρ ἤπερ ἡ Κλυταιμνήστρα. τὸ δὲ φίλος ἀντὶ τοῦ ὄφελος. ἄλλως· οὐκ ἧς τῆς μητρὸς φίλος μᾶλλον ἢ ἐμοῦ, ἀντὶ τοῦ, οὐ τῇ μητρὶ προσέκεισο μᾶλλον· ἄμεινον δὲ τὸ ἕτερον διὰ τὴν ἡλικίαν τοῦ Ὀρέστου, ἐφ᾽ ἧ τὸ φίλον εἶναι αὐτὸν καὶ διακρίνειν τινὰ τότε οὐκ ἐνεχώρει· μικρὸς γὰρ ἦν. In his mala sunt bonis mixta; de illis taceo, bona autem, praeter animadversionem de aetate Orestis, his continentur verbis τὸ δὲ φίλος ἀντὶ τοῦ ὄφελος, quae quamvis per se spectata absurdissima sunt, aperte tamen ostendunt eum qui haec scripsit in suo Electrae exemplari non ἐμοῦ φίλος legisse, sed ἐμοῦ ῎φελος = ἐμοῦ ὄφελος. Idque ipsum est quod Sophocles scripsit, qui hoc dicit, Orestem non tam matris quam sororis ὄφελος fuisse, sive id per *oblectamentum* sive alio cognatae potestatis vocabulo interpretari velis. potuisset etiam ὄνειαρ dicere, ut ὄνειαρ καὶ χάρμα coniungit Homericus h. in Cer. 269. Similiter apud Theocritum Id. XVII, 35. de Berenica dicitur:

ἔπρεπε θηλυτέραις, ὄφελος μέγα γειναμένοισιν.

Et qui notum illud Virgilii Ecl. IV, 49. *magnum Iovis incremen-*

tum graece reddere vellet, non posset, opinor, melius quam sic *Διὸς μέγα ὄφελος* vel *Διὸς μέγ' ὄνειαρ*.

Postremo versu Laur. a. pr. m. pro *σοί* habet *σή*, quod alteri longe praestat. Quid enim ieiunius, quid naturae minus conveniens est quam hoc, *ego a te semper sororis nomine compellabar*? Et quid hoc tam magnum et memorabile sororem a fratre sororem dici? Immo hoc dicendum erat ‚non domestici te nutriebant; sed ego tua nutrix, ego tua soror ab omnibus appellebar'. Quod eodem redit ac si dixisset, *ἐγὼ σὴ τροφὸς ἅμα καὶ ἀδελφὴ προσηυδώμην*. Quod quo magis patescat, scripsisse poetam suspicor:

ἀλλ' ἐγὼ τροφὸς
ἐγώ τ' ἀδελφὴ σὴ προσηυδώμην ἀεί.

In iis qui proxime sequuntur versibus quantocius revoca librorum scripturam *τέθνηκ' ἐγώ*, quam Musgravius et qui hunc sequutus est Iahnius noster non sine sententiae detrimento in *τέτηκ' ἐγώ* transformarunt.

Vs. 1177.

ἦ σὸν τὸ κλεινὸν εἶδος Ἠλέκτρας τόδε;

Laur. a m. pr. *Ἠλέκτρα*, quod qui genetivo praetulerunt, multum venustatis loco detraxerunt. Ordo verborum hic est *ἦ σὸν τόδε εἶδος τὸ κλεινὸν Ἠλέκτρας εἶδός ἐστι*, an tua haec facies laudata Electrae facies est? Quod nunquam in tota hac fabulae parte Orestes Electram nomine compellat, fortasse casu factum est.

Vs. 1188.

καὶ μὴν ὁρᾷς γε παῦρα τῶν ἐμῶν κακῶν.

Haec per se rectissime dicta sunt et optime respondentur ad ea quae Orestes praecedente versu dixerat *ὁρῶν σε πολλοῖς ἐμ-*

πρέπουσαν ἄλγεσιν. At quum idem Orestes ad illum versum haec regerat 'qui fieri potest ut etiam infestiora his mala videam', intelligis opinor pro *παῦρα* rectius poetam scripturum fuisse *φλαῦρα*, i. e. *μικρά*. Pro *ἐχθίω* non necessariam esse credo Nauckii emendationem *αἰσχίω*.

Vs. 1222.

ΗΛ. ἦ γὰρ σὺ κεῖνος; ΟΡ. τήνδε προσβλέψασά μου
σφραγῖδα πατρὸς ἔκμαθ' εἰ σαφῆ λέγω.

Laur. *προσβλέψουσα*, forsan igitur *προσβλέπουσα* scribendum. Orestis verba vehementer doleo Nauckium meum ita in frustula dissecuisse, ut indecora prope dixerim dialogi forma evadat. non adeo se poetae tragici certae cuidam dialogi conformandi legi quasi in servitutem addixerunt, ut nunquam ab ea recederent, id quod sine offensione fieri potuit, ubi, ut hoc loco et in Aiac. 984. factum videmus, aliquid novi affertur. Prae ceteris autem quam plena periculi res sit ad eandem omnia normam conformare velle, luculenter ostendit novitia crisis de versu huius fabulae 1210. quem si propter neglectam stichomythiae legem deleveris, nihil significabunt verba *εὔφημα φώνει*, quae intelligi non possunt nisi aliquid de sepultura Orestis praecesserit.

Vs. 1306.

οὐ γὰρ ἂν καλῶς
ὑπηρετοίην τῷ παρόντι δαίμονι.

Res est minuta de qua dicam, nec tamen negligenda. Libri habent *ὑπηρετοίμην* ab Elmsleio, ut par erat, in atticam formam *ὑπηρετοίην* mutatum. At quum nullum erroris genus in codd. sit frequentius quam quo optativorum formae in *οιμην* vel *αιμην* desinentes nascuntur ex activis cum *ἄν* coniunctis

(*οιμ' ἂν* vel *αιμ' ἂν*), hic etiam *ὑπηρετοίμην* ex *ὑπηρετοῖμ' ἂν* corruptum videtur. Vid. Lud. Dindorfius ad Xenophontis Mem. II, 5, 3. Huius optativi, quo nunquam utuntur poetae comici, apud Sophoclem haec reperi exempla: *χωροῖμι* Oed. Col. 503. Fragm. 418 N. *δοκοῖμι* Oed. R. 1470. Philoct. 1044. *φρονοῖ* Ai. 761. Fragm. 751. *κυροῖ* Ai. 314. *κρατοῖ* Oed. Col. 405. *πονοῖ* ib. 509. *ἀπαρκοῖ* ib. 1769. *ὠφελοῖμι* Antig. 552. Ai. 537. Cf. Cobetum Lect. Nov. p. 362.

Vs. 1326. sqq.

ὅτ' οὐ παρ' αὐτοῖς, ἀλλ' ἐν αὐτοῖσιν κακοῖς
τοῖσιν μεγίστοις ὄντες οὐ γιγνώσκετε.

Haec non bene scripta esse facile credo affirmantibus, non tamen ut pro spuriis habendos esse credam versus 1326—1338. Sed *παρ' αὐτοῖς* haud dubie corruptum est, cui si *παραυτίκα* substituas et *τοῖσιν* nescio quo errore ex *ἤδη* corruptum statuas, orationem habebis satis integram. Videtisne, inquit, non actutum vos, sed in ipsis iam nunc versari malis? Ad *παραυτίκα* facile suppleas *γενησόμενοι*. Consimili brevitate dictum est 1434. *ὡς τὰ πρὶν εὖ θέμενοι, τάδ' ὡς πάλιν*, scil. *θησόμενοι*.

Vs. 1336.

καὶ νῦν ἀπαλλαχθέντε τῶν μακρῶν λόγων
καὶ τῆς ἀπλήστου τῆσδε σὺν χαρᾷ βοῆς.

Si Orestem et Electram *ἀπλήστους βοῆς* appellasset poeta, nemo id reprehenderet, at ipsum clamorem vocari *ἄπληστον*, mihi certe habet nonnihil insolentiae. Recte dicitur *πλῆσαι θυμόν, ἔρωτα, χολόν, ἐπιθυμίαν* et quicquid cupiditatum est; quis autem dixit *πλῆσαι βοήν*? quis clamorem inexplebilem? nemo profecto. Nisi eximie fallor, poeta scripsit *ἀπαύστου*, fa-

vetque quodammodo Laur. in quo ἀπλείστου scriptum est. ει saepissime in codicibus pro υ scriptum reperias, et Λ poni pro Δ pervulgatum est. In Aeschyli Prom. 371. recte Dindorfius praeeunte Schützio edidit θερμοῖς ἀπλάτου βέλεσι πυρπνόου ζάλης, ubi codd. habent ἀπλήστου — ζάλης, quod aeque insolenter dictum est ut ἄπληστος βοή.

Vs. 1351.

ἦ κεῖνος οὗτος, ὅν ποτ' ἐκ πολλῶν ἐγὼ
μόνον προσηῦρον πιστὸν ἐν πατρὸς φόνῳ;

Recte paucis ante versibus legitur οὐκ οἶσθ' ὅτῳ μ' ἔδωκας ἐς χέρας ποτέ, at hoc loco, postquam iam accurate indicatum erat tempus, quo paedagogi opera Orestes servatus erat, non debebat Electra hoc sciscitari, num hic ille esset, quem *aliquando*, sed quem *tum* fidum experta fuerit. Itaque scribendum est ὅν τότ' ἐκ πολλῶν.

Vs. 1354.

ὦ φίλτατον φῶς, ὦ μόνος σωτὴρ δόμων
Ἀγαμέμνονος, πῶς ἦλθες; ἦ σὺ κεῖνος εἶ —

Quid tantum commeruit horum versuum alter ut Sophocle indignus haberetur? an quoniam verbis ἦ σὺ κεῖνος εἶ Electra paucis versibus ante usa est? atqui haec ipsa eorumdem verborum iteratio animum virginis prae gaudio exultantis cum summa naturae veritate indicat luculentissime.

Vs. 1357.

ὦ φίλταται μὲν χεῖρες, ἥδιστον δ' ἔχων
ποδῶν ὑπηρέτημα, πῶς οὕτω πάλαι
ξυνών μ' ἔληθες οὐδ' ἔφαινες, ἀλλά με
λόγοις ἀπώλλυς.

Eximiam horum versuum venustatem incredibile dictu est quam

fatuis coniecturis viri docti delere instituerint. *O dilectissimae manus, o tu qui dulcissimum habes pedum ministerium!* Quid his dulcius, quid amantius dici potuit? Quid igitur tantopere displicuit criticis ut ἔχων attentarent? Priora quum dicit Electra, manus senis apprehendit amantissime; pedes autem non potuit attrectare, quare pro pedibus ipsum virum alloquitur. Tertium autem versum nullo pacto Sophocli eripiendum putamus, in quo si quid offensionis habet οὐκ ἔφαινες pro οὐκ ἐφαίνου dictum, facile id removeri potest scribendo κοὔ σ' ἔφαινες; sed ne hoc quidem opus est.

Vs. 1361.

χαῖρ' ὦ πάτερ· πατέρα γὰρ εἰσορᾶν δοκῶ.

Haec ita dicta sunt, ut nisi de Electrae patre non intelligi posse videantur; nec fugit hoc Nauckium, minus probabiliter tamen conicientem χαῖρ' ὦ πάτερ μοι· πατέρα γάρ σ' ὁρᾶν δοκῶ. Sophocles, si quid video, scripserat:

χαῖρ' ὦ πάτερ· πατέρα γὰρ ὥς ὁρᾶν δοκῶ.

Vs. 1395.

νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων. ὁ Μαίας δὲ παῖς
Ἑρμῆς σφ' ἐπάγει δόλον σκότῳ
κρύψας πρὸς αὐτὸ τέρμα, κοὐκέτ' ἀμμένει.

De νεακόνητον, quod ne metrum quidem admittit, anceps haeret iudicium, hoc tamen certum est correctorum stultitiae deberi hanc vocem, αἷμα de gladio interpretantium, quod quam absurdum sit quum recte critici intellexissent, iidem tamen male αἶχμα vel similia portenta poetae obtruserunt. αἷμα incorruptum est et caedem significat, quare non incredibile est scriptum fuisse aliquid, quo Orestes recens paratam caedem manibus gestare diceretur, e. c. νεοχμόκμητον vel νεαρόκμητον αἷμα χειροῖν

ἔχων. Similiter supra 476. Iustitia dicitur *δίκαια φερομένη χεροῖν κράτη*. Certiora forsan de secundo versu conicere licebit, in quo Triclinius scripsit *Ἑρμῆς σφ' ἄγει*, Nevius *ἐπί σφ' ἄγει*, qui recte vidit *Ἑρμῆς* post *ὁ Μαίας παῖς* ferri non posse; cui ne quis obvertat *ὁ Διὸς παῖς Διόνυσος* vel *ἁ Διὸς Ἄρτεμις* et quae passim leguntur similia, tenendum est Iovis multiplicem esse progeniem, Maiae praeter Mercurium nullam. at *ἐπί* quod Nevius infersit, nihil est; nec per se probabilis correctio est *ἐπί σφ' ἄγει* pro *σφ' ἐπάγει* sive, ut Laur. a pr. m. habet, pro *σφ' ἐξάγει*. Scribendum videtur:

ὁ Μαίας δὲ παῖς
ἁρμοῖ σφ' ἄγει δόλον σκότῳ —

σφ' ἐξάγει natum est ex *σφε ἄγει*, quod hiatus vitandi causa a metrico correctore in *σφ' ἐξάγει* mutatum est; recte Triclinius *σφ' ἄγει*.

Vs. 1415.

ΚΛ. ὤμοι πέπληγμαι. ΗΛ. παῖσον εἰ σθένεις διπλῆν. Possunt haec sane defendi ex iis quae ad v. 341. annotavi. Hoc tamen loco perquam mihi probabile videtur non variasse orationem poetam, sed scripsisse *πλῆξον εἰ σθένεις διπλῆν*, quo senties quanto fortior et efficacior oratio evadat. *ΠΛΗΞΟΝ* et *ΠΑΙΣΟΝ* inter se sunt simillima. Consimilem errorem sustuli ex Antig. 170. ubi cum de mutua caede fratrum Thebanorum haec legantur:

παίσαντές τε καὶ
πληγέντες αὐτόχειρι σὺν μιάσματι,

plusquam verisimile est opposita poetam non diversis verbis expressisse, sed scripsisse:

πλήξαντές τε καὶ
πληγέντες αὐτόχειρι σὺν μιάσματι,

prorsus ut apud Aeschylum Sept. 961. de iisdem fratribus habes *παίσας ἐπαίσθης*, et in celebri dicto de Hercule *πλήξαντα καὶ πληγέντα* apud Hesychium s. v. *πλήξαντα* et Eustathium ad Hom. Il. p. 882, 38. — Haec fere scripsi de Antigonae loco in Philologo Gott. XVIII p. 535. Postea non mediocriter suspicionem meam confirmatam repperi scriptura Laur. de qua Dindorfius ad vocem *παίσαντες* ita rettulit: *literae αισ duabus literis elutis substitutae a S.* Comparare licet etiam alia ad eandem rationem dicta, velut *βαλὼν ἐβλήθης, ἔπαιον ἐπαίοντο, ἑλόντες ᾑρήμεσθα*, de quibus v. Schaeferum. Praef. ad Anacr. p. XIII. et quae nos ipsi diximus ad Oedipum Col. p. 178. Ac ne repugnare videatur Xenophon Hellen. IV, 3, 19. *ἀπέκτεινον ἀπέθνησκον*, tenendum est, *ἀπέθνησκον* esse passivum pro *ἀπεκτείνοντο*, quo nunquam Attici scriptores usi sunt.

Vs. 1419.

ζῶσιν οἱ γᾶς ὕπο κείμενοι.

Recte Brunckium scripsisse *ὑπαὶ κ.* docet versus antistrophicus, ubi creticum numerum dochmiaco aptiorem esse ostendit sententia loci. Saepe Aeschylus, raro Sophocles, nunquam Euripides dixerunt *ὑπαί*. Hinc corrige quae scripsi Symbolis crit. ad Antig. p. 39. sq. Mox vs. 1424. nihil certius esse emendatione Hermanni *πῶς κυρεῖ δέ*, aperte docent sequentia *τἀν δόμοισι μὲν καλῶς*, quae quis non videt pessime inferri post *πῶς κυρεῖτε*, quae Reisigii coniectura est. Libri *πῶς κυρεῖ.*

Vs. 1430.

ΟΡ. εἰσορᾶτέ που
τὸν ἄνδρ᾽ ἐφ᾽ ἡμῖν; ΗΛ. οὗτος ἐκ προαστίου
χωρεῖ γεγηθὼς [μηδὲν ὑπονοῶν κακόν].

Ita haec redintegranda videntur. Laur. haec scriptura est:

ΟΡ. εἰσορᾶτέ που τὸν ἄνδρ'; ΗΛ. ἐφ' ἡμῖν οὗτος ἐκ προαστίου χωρεῖ γεγηθώς. Non exacte quidem sibi respondent metrorum cola, ut pro *οὗτος* aliam vocem cum Orestis verbis coniungendam a poeta scriptam fuisse conicias; at quaenam haec esse potuerit quum prorsus intelligi non possit, condonandam arbitror poetae hanc leviusculam metrorum inaequalitatem.

ΑΙΑΧ

Vs. 1.

Ἀεὶ μὲν ὦ παῖ Λαρτίου δέδορκά σε
πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.

Dubitatum est a criticis, *ἁρπάσαι* utrum a *δέδορκα* pendeat an a *θηρώμενον*. Nullum dubitationi locum esse vel hoc ostendit, quod videndi verba in tali orationis structura nunquam cum infinitivo, constanter cum participio coniunguntur. De *θηρᾶσθαι* sequente infinitivo vide praeter exempla a Dindorfio allata Anaxilam Fr. Com. vol. III p. 348. *τὸν τρίτον θηρεύεται ἔτι λαβεῖν* et Euripidem apud Stobaeum Flor. LI, 14. *τὸ διαβιῶναι μόνον ἀεὶ θηρωμένη.* Ceterum non indignum memoratu est ad *πεῖραν* scholiastam adscripsisse hos ex Danae versiculos:

οὐκ οἶδα τὴν σὴν πεῖραν· ἓν δ' ἐπίσταμαι,
τοῦ παιδὸς ὄντος τοῦδ' ἐγὼ διόλλυμαι.

Quae neque intelligi nec cum argumento Danaae conciliari possunt nisi in hunc modum correcta:

τῆς παιδὸς ὄντως τῆσδ' ἐγὼ διόλλυμαι.

Iovem audire mihi videor nescio cui (forsan Mercurio) *tentandam* esse Danaen admonenti respondentem: nescio quam tu mihi narres *πεῖραν*; hoc autem scio me deperire hanc puellam. *διόλλυμαι* cum genetivo coniunxit ut apud Aristophanem in Pace

v. 989. legitur, οἵ σου τρυχόμεθ᾽ ἤδη τρία καὶ δέκ᾽ ἔτη. Orationis color similis Aiac. 779. οὐκ οἶδα τὴν σὴν πρᾶξιν et Electr. 1110. οὐκ οἶδα τὴν σὴν κληδόνα. Ceterum facilis correctio est; nam quum ὄντως in ὄντος corruptum esset, supervenit scriba, qui genus mutaret et τοῦ παιδὸς τοῦδε scriberet pro τῆς παιδὸς τῆσδε. Quodsi recte hoc fragmentum tractavi, apertum est, Danaen fabulam fuisse satyricam et ab Acrisio, quam fuerunt qui a Danae non diversam putarent, distinguendam. Ac satyricum colorem agnovisse mihi videor etiam in aliis Danaae fragmentis, velut in eo quod Hesychius v. Ἀφροδισία ἄγρα servavit γόνον τε μήλων κἀφροδισίαν ἄγραν, magis etiam in hoc apud Antiatticistam p. 79, 23. ζῆ πῖθι φέρβου.

Vs. 5.

πάλαι κυνηγετοῦντα καὶ μετρούμενον
ἴχνη τὰ κείνου νεοχάρακτα.

Audacissime haec transformavit Nauckius. *Metiendi* et *aestimandi* notiones sunt coniunctissimae, ut μετρεῖσθαι vix differat a τεκμαίρεσθαι, quod ipsum Nauckius h. l. desiderabat.

Vs. 99.

τεθνᾶσιν ἄνδρες, ὡς τὸ σὸν ξυνῆκ᾽ ἐγώ.

Non praefracte contenderim haec corrupta esse, verum tamen quum τὸ σόν, siquando dicitur, significet fere *tua causa, tuae rationes, tua commoda* et quae sunt similia (pariter ac τοὐμόν, τἀμά), nescio an scripserit poeta ὡς τὸ σὸν ξυνῆκ᾽ ἔπος. Neque adversatur qui adversari videtur Oed. Col. 1141. οὔτ᾽ ἀντὶ τοὐμοῦ προὔλαβες τὰ τῶνδ᾽ ἔπη.

Vs. 106.

Postquam Aiax dixit, se nondum Ulixen morti tradere

velle, *θανεῖν γὰρ αὐτὸν οὔ τι πω θέλω*, hoc sequitur Aiacem inter et Minervam colloquium:

ΑΘ. πρὶν ἄν τί δράσῃς ἢ τί κερδάνῃς πλέον;
ΑΙ. πρὶν ἂν δεθεὶς πρὸς κίον' ἑρκείου στέγης
ΑΘ. τί δῆτα τὸν δύστηνον ἐργάσῃ κακόν;
ΑΙ. μάστιγι πρῶτον νῶτα φοινιχθεὶς θάνῃ.

Apertum est *θάνῃ*, quod ultimo versu legitur, parum recte inferri post verba

θανεῖν γὰρ αὐτὸν οὔ τι πω θέλω.

Qualis in dicendo negligentia minime omnium apud Sophoclem ferenda est, nec defendi potest iis quae leguntur Trachin. 1130. ubi Hyllo dicenti *τέθνηκεν — αὐτὴ πρὸς αὐτῆς*, Hercules respondet *οἴμοι· πρὶν ὡς χρῆν σφ' ἐξ ἐμῆς θανεῖν χερός*, quae rectissime dicta sunt eoque redeunt ut sensus sit: sua se manu interfecit, ante quam ego id feceram. Nec maiore iure huc trahitur Philoct. 1329. *παῦλαν ἴσθι τῆσδε μήποτ' ἂν τυχεῖν νόσου βαρείας — πρὶν τῶν παρ' ἡμῖν ἐντυχὼν Ἀσκληπιδῶν νόσου μαλαχθῇς τῆσδε*, i. e. scito non prius morbum cessaturum esse, quam Asclepiadae te eo liberaverint, in quibus nihil video nisi rhetoricam verborum *τῆσδε τῆς νόσου* iterationem, similem ei qua Trach. 1197. perspicuitatis causa iterantur verba *τοὐμὸν σῶμα*. Ac corruptum esse Aiacis locum etiam Dindorfius animadvertit, *δίκην τίνῃ* vel simile quid pro *θάνῃ* requirens. Tale quid equidem, etiam si metrum ferret, Sophoclem non scripturum fuisse crediderim; vix enim differt a *θάνῃ*. Existimabam aliquando poetam *φθάνῃ* vel *φθάσῃ* scripsisse; nunc indubitabile mihi videtur dixisse eum:

μάστιγι πρῶτον νῶτα φοινιχθεὶς φανῇ.

Haec quasi circumscriptio simplicis verbi finiti Sophocli est usitatissima. Philoct. 1335. *πρὶν ἂν — τὰ πέργαμα ξὺν τοῖσδε*

τόξοις ξὺν τ᾽ ἐμοὶ πέρσας φανῇς. Antig. 177. *πρὶν ἂν ἀρχαῖς τε καὶ νόμοισιν ἐντριβὴς φανῇ.* Oedip. Col. 808. *οὐδὲ τῷ χρόνῳ φύσας φανεῖ φρένας ποτέ.*

Vs. 131.

ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
ἅπαντα τἀνθρώπεια.

Non recte Nauckius Lobeckio inutilem et supervacaneam Angli cuiusdam coniecturam esse dicenti obloquutus est recepitque *ὡς ἦμαρ ἓν κλίνει.* neque eius coniecturae praesidium e scholiasta peti potest, qui quum dicit *ἡμέρα γὰρ μία ἐλαττοῖ καὶ πάλιν αὔξει*, quid aliud fecit quam quod facere debuit? Non raro *ἡμέρα* ponitur ubi *ἡμέραν μίαν* dici expectes. Ipse Sophocles de vite intra unam diem adolescente dixit *ἐφ᾽ ἦμαρ ἕρπει* apud Schol. ad Eurip. Phoen. 227. Diphilus apud Stobaeum Flor. XV, 3.

ἔργον συναγαγεῖν σωρὸν ἐν πολλῷ χρόνῳ,
ἐν ἡμέρᾳ δὲ διαφορῆσαι ῥᾴδιον.

Terentius Heaut. III, 1, 13. *illud falsum est, quod vulgo audio dici, diem adimere aegritudinem hominibus.*

Vs. 270.

πῶς τοῦτ᾽ ἔλεξας; οὐ κάτοιδ᾽ ὅπως λέγεις;

Nescio alios, at mihi haec balbutientis esse videtur oratio: *wie meinst du das? ich weiſs nicht wie du (das) meinst?* quam ad sanam rationem revocaveris scribendo *οὐ κάτοιδ᾽ ὅπερ λέγεις.* Cf. Philoct. 559. *φράσον δ᾽ ἅπερ γ᾽ ἔλεξας.*

Vs. 289.

Αἴας, τί τήνδ᾽ ἄκλητος, οὔθ᾽ ὑπ᾽ ἀγγέλων
κληθεὶς ἀφορμᾷς πεῖραν οὔτε του κλύων
σάλπιγγος; ἀλλὰ νῦν γε πᾶς εὕδει στρατός.

De integritate scripturae horum versuum magnae iustaeque obo-

riuntur dubitationes, quamquam quid in ultimis verbis tantopere displicere possit, fateor me non intelligere. At priora, in quibus *κληθείς* molestissime abundat, sic ut nunc eduntur a poeta scribi non potuisse certum est, nec dubito quin hic etiam glossatoris manus genuinam scripturam expulerit. Sophocle non indigna essent haec:

Αἴας, τί δῆτ' ἄκλητος, οὔθ' ὑπάγγελος
ταύτην ἀφορμᾶς πεῖραν οὔτε που κλύων
σάλπιγγος;

Nimirum ad *ὑπάγγελος* glossator adscripserat *ὑπ' ἀγγέλων κληθείς*, quo in textum illato et *ταύτην* deleri et *δῆτ'* in *τήνδ'* mutari necesse erat. Cf. Aeschylus Choeph. 838. *ἥκω μὲν οὐκ ἄκλητος, ἀλλ' ὑπάγγελος.* Artificiosior structurae implicatio neminem in Sophocle morabitur. Versu tertio pro *του*, in quo non iniuria Nauckius haesit, scripsi *που*.

Vs. 437.

ἐγὼ δ' ὁ κείνου παῖς, τὸν αὐτὸν ἐς τόπον
Τροίας ἐπελθὼν οὐκ ἐλάσσονι στρατῷ,
ἄτιμος Ἀργείοισιν ὧδ' ἀπόλλυμαι.

Non raro *τόπος* circumscriptioni inservit, ut apud Aeschylum Pers. 790. *εἰς τὸν Ἑλλάδος τόπον.* Suppl. 237. *ἀφ' Ἑλλάδος τόπων.* Sophocles Oed. R. 1134. *τὸν Κιθαιρῶνος τόπον*, quae frustra de vitio suspecta habuit Nauckius. Philoct. 144. *τόπον ἐσχατιᾶς.* Ita enim recte tria apographa. Itaque verba *τὸν αὐτὸν ἐς τόπον* pro *ἐς τὴν αὐτὴν Τροίαν* posita esse dicerem, nisi hoc ipsum ieiunius dictum videretur, quam ut ab Sophocle scriptum crederem. Quare hunc scripsisse suspicor:

τὸν αὐτὸν ἐς πόνον
Τροίας ἐπελθὼν οὐκ ἐλάσσονι σθένει,

ut se quoque ad Troiam vexandam huc venisse profiteatur.

Vs. 496.

ἣ γὰρ θάνῃς σὺ καὶ τελευτήσας ἀφῇς,
ταύτῃ νόμιζε κἀμὲ τῇ τόθ' ἡμέρᾳ
βίᾳ ξυναρπασθεῖσαν Ἀργείων ὕπο,
ξὺν παιδὶ τῷ σῷ δουλίαν ἕξειν τροφήν.

Vix credi potest vitii immune esse verbum ἀφῇς, quod recte dicitur de marito cum uxore divortium faciente, non recte dici puto de Aiace moriente et Tecmessam destituente. Fortasse hic quoque τελευτήσας φανῇς scribendum est, *quo die obitus tuus palam factus fuerit.* Praeterea mire coniuncta sunt ταύτῃ τῇ τόθ' ἡμέρᾳ, quae recte haberent si legeretur ταύτῃ — τῆμος ἡμέρᾳ, *ea tum die me quoque existima* etc. Sed sufficere arbitror κἀμὲ δὴ τόθ' ἡμέρᾳ. Sero video φανῇς coniecisse iam alios; id cur ferri non posse iudicaverit Nauckius non indicandum putavit. Fortasse tamen ταφῇς scribere praestat; quam diu enim insepultus iacebat Aiax, aliqua tamen reverentia mortui Achivos prohibebat, ne contra Tecmessam saevirent.

Vs. 516.

ἐμοὶ γὰρ οὐκέτ' ἐστὶν εἰς ὅτι βλέπω
πλὴν σοῦ. σὺ γάρ μοι πατρίδ' ᾔστωσας δόρει,
καὶ μητέρ' ἄλλη μοῖρα τὸν φύσαντά τε
καθεῖλεν Ἅιδου θανασίμους οἰκήτορας.

Valde suspectum in his versibus est ἄλλη μοῖρα, quod quum Hermannus parum probabili coniectura in ἀλαὴ μοῖρα mutandum suasisset, alii extitere qui ἄλλη h. l. ita dictum affirmarent, ut legitur in Philocteta ἰδοὺ ταυτά γ' ἄλλα θάλπεται ῥάκη, quae nostro loco dissimillima sunt. Mihi non dubitandum videtur, quin ἄλλη corruptum sit; ac facilis suppetit medela, una enim litera addita scribendum:

καὶ μητέρ' ἁμὴν μοῖρα τὸν φύσαντά τε —

Rarus est huius pronominis usus in feminino, sed habet Aeschylus Eum. 440. *ἑστίας ἁμῆς πέλας.* ita enim recte ad Med. fidem, qui *ἄμῆς* habet, scripsit Hermannus pro *ἐμῆς.*

Vs. 625. 634.

λευκὰ δὲ γῆραι μάτηρ νιν ὅταν νοσοῦντα
φρενομόρως ἀκούσῃ.

Dixi de his in Symbolis criticis ad Antigonam p. 38. ac nunc etiam statuo, de quo etiam Nauckium admonuisse video, *φρενομόρως* pessimi commatis vocabulum esse, maleque scholiastam explicare *ἀντὶ τοῦ εἰς τὴν μοῖραν τῶν φρενῶν νοσοῦντα, ὅ ἐστι φρενοβλαβῶς, μανικῶς.* Quae apertum est ita tantum probari posse, si graeca lingua verbum *μορεῖν* haberet idque *βλάπτειν* significaret. Scribendum olim existimavi *νοσοῦντα φρέν' ἀμόρως, infelici mentis morbo laborantem.* Nunc non dubito quin, quod et res et ratio suadet, Sophocles *φρενομανῶς* scripserit, cuius interpretamentum est *φρενομώρως.* ita enim, non *φρενομόρως*, in Laur. ab antiqua manu scriptum est. In antistrophico autem versu non dubitandum est quin recte *ἄριστος* addiderit quicunque addidit.

In sequentibus versibus (629. 30) nihil novandum est. Lusciniae enim cantus, quamquam saepissime vehementi dolori indicando inservit, tamen, quum eximiam dulcedinem habeat, iure poetae dicere licuit, non tantum philomelae instar dolebit, sed acutas querellas emittet cum planctu pectoris comaeque laniatu. Vs. 634. legendum suspicor *κἀν πολιαῖς ἄμυγμα χαίταις.*

Vs. 674.

ἐξίσταται δὲ νυκτὸς αἰανῆς κύκλος
τῇ λευκοπώλῳ φέγγος ἡμέρᾳ φλέγειν,

δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε
στένοντα πόντον.

Praeter rem, ne dicam absurde commemorari saevorum ventorum flatus, in confessis est, nec obloquar *λείων* pro *δεινῶν* conicientibus. Mihi olim *δίων τ' ἄημα πνευμάτων* scribendum videbatur, i. e. *διοπετῶν*, ut apud Euripidem habes *δίαν ψακάδα* Helen. 2. et *Iovis auras* apud Horatium C. S. 32. His bene opponitur saeviens pontus, quem Iovis aurae consopiunt. In Laur. *δεινόν* scriptum est.

Vs. 727.

ξύναιμον ἀποκαλοῦντες, ὡς οὐκ ἀρκέσοι
τὸ μὴ οὐ πέτροισι πᾶς καταξανθεὶς θανεῖν.
ὥστ' ἐς τοσοῦτον ἦλθον, ὥστε καὶ χεροῖν
κολεῶν ἐρυστὰ διαπεραιώθη ξίφη.

Desidero in his logicum sententiarum ordinem: minantur Argivi Teucro lapidationem, adeo quidem (*ὥστε*) ut enses nudarent. Vides illud *ὥστ' ἐς τοσοῦτον ἦλθον* minime recta conclusione effici. Accedit importuna coniunctionis *ὥστε* iteratio. Quare scribendum conieci:

κᾆτ' ἐς τοσοῦτον ἦλθον ὥστε —

Ita recte omnia procedunt. Nec violenta est mutatio; constat *ὡς* et *καὶ* in codd. ita scribi, ut dignosci inter se vix possint. itaque *κᾆιτ'* facillimo errore transibat in *ὥστ'*. Video nunc etiam alios haesisse, quorum Bothius *οἱ δ' ἐς*, Thierschius *ἔστ' ἐς* coniecere.

Vs. 741.

τὸν ἄνδρ' ἀπηύδα Τεῦκρος ἔνθοθεν στέγης
μὴ ἔξω παρήκειν, πρὶν παρὼν αὐτὸς τύχοι.

Non multum quidem, at aliquid tamen admirationis habet con-

iunctio adverbiorum ἔνϑοϑεν et ἔξω, quornm unum sufficiebat, quare suspicor latere dictionem atticae elegantiae:

μὴ πρῲ παρήκειν, πρὶν παρὼν αὐτὸς τύχοι.

Trach. 630. δέδοικα γὰρ μὴ πρῲ λέγοις ἂν τὸν πόϑον τὸν ἐξ ἐμοῦ, πρὶν εἰδέναι τἀκεῖϑεν εἰ ποϑούμεϑα. Plato Parmen. p. 135 a. πρῲ γὰρ πρὶν γυμνασϑῆναι ἐπιχειρεῖς ὁρίζεσϑαι.

Vs. 835.

καλῶ δ᾽ ἀρωγοὺς τὰς ἀεί τε παρϑένους
ἀεί ϑ᾽ ὁρώσας πάντα τὰν βροτοῖς πάϑη.

Quo consilio poeta Furias h. l. ἀεὶ παρϑένους vocaverit quum nullo pacto intelligi possit, suspicor poetam scripsisse:

τὰς ἀεί τ᾽ ἐπαργέμους
ἀεί ϑ᾽ ὁρώσας πάντα τὰν βροτοῖς πάϑη.

Quam emendationem pluribus adstruxi Symbolis criticis ad Antigonam p. 29.

Vs. 869.

κοὐδεὶς ἐπίσταταί με συμμαϑεῖν τόπος.

Non posse haec in eam sententiam explicari, quam Elmsleius optavit, luculenta disputatione ostendit Lobeckius. Rectiorem sine dubio viam inierunt qui locum corruptum esse existimant, quorum Linwoodius tentabat:

κοὐδεὶς ἐπίσταταί σφε συμβαλεῖν τόπος.

Melius Dindorfius:

κοὐδεὶς ἐπίσταταί σφε συμμαϑὼν τόπος.

Ipse conieci mutatione lenissima:

κοὐδεὶς ἐφίσταται με συμμαϑὼν τόπος.

Ut hoc dicat *omnia peragravi nec ullus locus est, qui gnarus rei gressus meos moratus sit.* Verbum ἐφίστασϑαι transitiva po-

testate dixit ipse Sophocles Trachin. 338. *τοῦ με τήνδ' ἐφίστασαι βάσιν, quid est quod gressum meum inhibes.* Cf. Aeschylum Pers. 385. *διάπλοον καθίστατο.*

Vs. 885.

τὸν ὠμόθυμον εἴ ποθι
πλαζόμενον λεύσσων ἀπύοι·
σχέτλια γὰρ ἐμέ γε τὸν μακρῶν ἀλάταν πόνων —

Ita hoc versus distinguendos existimo, qui vulgo ita dispositi sunt, ut in *ποθί* ultimam syllabam produci necesse sit; nec bene *σχέτλια γὰρ* creticus respondet formae antitheticae. Antistropha ita describenda:

ἀνεστέναζες ὠμόφρων
ἐχθοδόπ' Ἀτρείδαις οὐλίῳ
σὺν πάθεϊ μέγας ἄρ' ἦν ἐκεῖνος ἄρχων χρόνος.

In quibus iam vides nihil mutatum esse, nisi quod *πάθεϊ* cum diaeresi scripsi pro *πάθει*, quae in lyrica tragicorum oratione nihil offensionis habet; *εὐρέϊ* habes Trach. 114.

Vs. 876.

πόνων γε πλῆθος κοὐδὲν εἰς ὄψιν πλέον.

Non probaverim quod Nauckius scripsit *μολὸν* pro *πλέον*, in quo si quid reprehendendum est, utique malim *φέρον*. At non video iustam mutandi causam.

Vs. 919.

φυσῶντ' ἄνω πρὸς ῥῖνας, ἔκ τε φοινίας
πληγῆς μελανθὲν αἷμ' ἀπ' οἰκείας σφαγῆς.

In his *μελανθὲν αἷμα* sive *nigricantem sanguinem (schwärzlich)* sive *nigrifactum (geschwärzt)* intelligas, neutrum satis commode dictum est. Sophocles, ni fallit sententia, *μελανθὲς* scripsit; viditque hoc etiam Hermannus, quem ne commemorare quidem

recentissimi editores dignati sunt. In Oedipo R. 742. *λευκανθὲν κάρα* eandem ob causam reicio, ob quam in Aiacis loco *αἷμα μελανθέν* reprobravi.

Vs. 921.

ποῦ Τεῦκρος; ὡς ἀκμαῖος εἰ βαίη μόλοι.

Haec corrupta esse nec omitti posse *ἄν* particulam primus intellexit Wakefieldus, cuius emendationem *ὡς ἀκμαῖ' ἂν* cum alii probarunt, tum Porsonus Hermannus Dindorfius. Male fuerunt qui hoc graecum esse negarent. V. quae dixi ad Oed. Col. 319. Nihilo minus reicio hoc emendandi genus, nulla probabilitatis specie commendabile. Laur. *βαίης* habet; itaque scribendum *βαίη 'ν*, i. e. *βαίη ἄν*, quamquam huius sive aphaereseos sive craseos plane gemellum exemplum non in promptu est. At quum sine offensione legamus *ἀστιβῆ 'πόλλωνι, μὴ 'ναμείνῃς, μὴ 'φέλῃς*, forsan etiam *δὴ 'ν*, non punctum temporis dubitandum est, quin etiam *βαίη 'ν μόλοι* recte scribatur.

Vs. 966.

ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς,
αὑτῷ δὲ τερπνός· ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν
ἐκτήσαθ' αὑτῷ, θάνατον ὅνπερ ἤθελεν.
τί δῆτα τοῦδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα;

Assentior Dindorfio tres primos versus delenti, sed ne interpolatorem quidem scripsisse puto quod. v. 966. vulgo editur; nec Schneidewinus verum repperisse videtur *ᾗ* corrigens pro *ἤ*. Fortasse scribendum est *τέθνηκε κἀκείνοις γλυκύς*. Quarto versu mirabilis est verborum *ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα* iunctura. Ferrem *ἐγγελῷεν ἂν κάτα*, ut est Oed. Col. 1339. *κοινῇ καθ' ἡμῶν ἐγγελῶν*. Fortasse igitur scripsit poeta *τοῦδ' ἔτ' ἐγγελῷεν ἄν*.

Vs. 985.

οὐχ ὅσον τάχος
δῆτ᾽ αὐτὸν ἄξεις δεῦρο, μήτις ὡς κενῆς —

Merito offendit viros doctos δῆτα in versus initio positum. Fortasse corrigendum δεῦρ᾽ αὐτὸν ἄξεις δῆτα.

Vs. 988.

ἴθ᾽ ἐγκόνει, σύγκαμνε· τοῖς θανοῦσι γὰρ
φιλοῖσι πάντες κειμένοις ἐπεγγελᾶν.

Hoc aliquanto plus est, quam quod vel a Sophocle vel ab alio quopiam humanarum rerum perito dici potuerit; accedit quod aut θανοῦσι aut κειμένοις moleste abundat. Sophoclem scripsisse puto:

ἴθ᾽ ἐγκόνει, σύγκαμνε· τοῖς ἐχθροῖσι γὰρ
φιλοῦσι πάντες κειμένοις ἐπεγγελᾶν.

Manifesto θανοῦσι interlinearis interpretatio participio κειμένοις superscripta in praecedentem versum irrepsit, expulso quod ad sententiam necessarium est ἐχθροῖσι. Verbum κεῖσθαι per θανεῖν a glossatoribus explicari solenne est.

Vs. 1041.

βλέπω γὰρ ἐχθρὸν φῶτα, καὶ τάχ᾽ ἂν κακοῖς
γελῶν ἃ δὴ κακοῦργος ἐξίκοιτ᾽ ἀνήρ.

Praeter solitum dixit ἃ δή pro usitato ἅτε δή vel οἷα δή, cuius rei quod exemplum ex Simonide Amorgio attulit Scbneidewinus incertae fidei est. Legitur apud Stobaeum Flor. 98, 16.

ἐφήμεροι
ἃ δὴ βότ᾽ ἀεὶ ζῶμεν.

Ita enim e Bergkii emendatione haec nunc scribuntur. Par. A. habet ᾅ δὴ βοτὰ ζώομεν. Scribendum videtur:

ἐπ' ἡμέρην
ἀεὶ βότ' οἷα ζῶμεν.

In Sophoclis loco Laur. pro ἃ δή habet ἆ δή, quod fortasse *γελῶν ἄδην* scribendum, *aliorum malis impense irridere solitus,* quem ad modum *ἄδην ἐπισκώπτειν* dicitur, de quo dixit Hemsterhusius ad Luciani Nigrin. p. 52. Nec displiceret si quis hic etiam ut in Simonidis loco *γελῶν ἀεί* coniceret. *ΑΕΙ* et *ΔΗ* frequentissime permutantur, *Α* autem e sequente *Δ* ortum videri potest.

Vs. 1071.

καί τοι κακοῦ πρὸς ἀνδρὸς ἄνδρα δημότην
μηδὲν δικαιοῦν τῶν ἐφεστώτων κλύειν.

Reiskius correxit *πρὸς ἀνδρὸς ὄντα δημότην*, non ad evitandam eiusdem vocis iterationem, ut Lobeckius suspicatur, sed ut grammaticae satis fieret, sensitque hoc ipse Lobeckius, multo mirabilius *κακοῦ πρὸς ἀνδρός ἐστι* positum esse dicens pro simplici *κακόν ἐστι*. Id ipsum vero cavetur Reiskiana emendatione, qua nihil vidi certius. Et tamen nemo ad hunc usque diem Reiskio obsecundavit.

Vs. 1172.

ἱκέτης ἔφαψαι πατρὸς ὅς σ' ἐγείνατο.

Anapaestum Sophocles etiam in prima sede trimetrorum tanta diligentia vitavit, ut in octo vel novem millibus senariorum non plus quam triginta duo eius exempla reperiantur, unum in Electra, duo in Oedipo Coloneo, tria in Aiace (nam 571 spurius est), quinque in Oedipo rege, totidem in Trachiniis, sedecim in Philocteta, in Antigona nullum. Horum tantum non omnia ex iis vocabulis constant, quae in alia versus parte nisi cum numerorum detrimento collocari non potuerunt, ex quo genere sunt quadri-

syllaba *βασίλεια, ἀκάθαρτος, ἀκάλυπτος, ἐνιαυτός, ἐλεοῦσιν, ἐλέησον, ἀπόλωλα, ἀπάμησον, ἐκέλευσεν, ἀπάταισιν*. Ne trisyllaba quidem, velut *ἀκράτωρ, ἱερῆς, κολεῶν, ἀγόνοις* etc. reliquis trimetri partibus ubique sine magna opera aptari poterant. Non cadit hoc in *ἱκέτης*, cui dubitari non potest quin ubicunque in prima trimetri sede reperitur brevior forma *ἵκτης* vel *ἱκτήρ* substitui debeat. Illaesus evasit Oed. R. 3. *ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι*, illaesus item Aiac. 1175. *ἱκτήριον θησαυρόν, εἰ δέ τι στρατοῦ*. At turbarunt scribae in Aiacis versu, quem praescripsi, et in Philoct. 470. *ἱκέτης ἱκνοῦμαι μὴ λίπῃς μ' οὕτω μόνον*. Apud Aeschylum *ἱκέτης* in prima senarii sede legitur Eumen. 92. 474. 577. *ἱκετάδοκος* Suppl. 713.

Vs. 1205.

ἐρώτων δ' ἀπέπαυσεν, ὤμοι,
κεῖμαι δ' ἀμέριμνος οὕτως,
ἀεὶ πυκιναῖς δρόσοις τεγγόμενος κάρα.

Lobeckius, quem Dindorfius sequutus est, *ἀμέριμνος* passiva potestate dictum esse statuit, *neglectus, spretus*. Non raro quidem adiectiva quaedam utramque significationem habent; non credo tamen hanc sibi libertatem sumpsisse poetas in tam usitato et frequente vocabulo quale est *ἀμέριμνος*. Eam ob causam vitium subesse reor et scripsisse poetam suspicor *ἀμενηνός* cll. vs. 874. Nisi *ἀμέριμνος* est *nullam mei curam habens.*

Vs. 1306.

οὓς νῦν σὺ τοιοῖσδ' ἐν πόνοισι κειμένους
ὠθεῖς ἀθάπτους οὐδ' ἐπαισχύνει λέγων.

Postrema ita fere intelligunt *neque te pudet id ipsum palam profiteri.* Hoc si voluisset poeta, id aliter dici oportebat, quod qui intellexerunt Erfurdtius et Bergkius, ille *ψέγων* Bergkius autem

λεών coniecerunt. Scribendum potius *γελῶν*, quod quum iam G. Wolfius intellexerit, mirum est neminem editorum in ordinem recepisse.

TRACHINIAE

Vs. 11.

Ὅς μ' ἐν τρισὶν μορφαῖσιν ἐξῄτει πατρός,
φοιτῶν ἐναργὴς ταῦρος, ἄλλοτ' αἰόλος
δράκων ἑλικτός, ἄλλοτ' ἀνδρείῳ κύτει
βούπρῳρος.

Voce *ἐναργής* Hermannus poetam propter sequentia usum esse existimat, *nunc integra tauri specie, nunc capite taurino homo.* Atqui *ἐναργής* non est *integer*, *ὁλόκληρος*, sed *manifestus, in omnium conspectu versans.* Vereor igitur ne corruptus sit locus. Suspicari possis *φοιτῶν μὲν ἀργὴς ταῦρος*, quibus mutata structura infertur *ἄλλοτε δράκων*, quum proprie pergere debebat *φοιτῶν δὲ αἰόλος δράκων. Ἀργὴς* (*ἀργᾶς*) *ταῦρος* de tauro candidi coloris dictum habes apud Pindarum Ol. XIII, 60.

Vs. 54.

πῶς παισὶ μὲν τοσοῖσδε πληθύεις, ἀτὰρ
ἀνδρὸς κατὰ ζήτησιν οὐ πέμπεις τινά,
μάλιστα δ' ὅνπερ εἰκὸς Ὕλλον, εἰ πατρὸς
νέμοι τιν' ὥραν τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖν.

Parum accurate scholiasta postrema ita interpretatur: *ἵνα μάθῃς εἰ φροντίζει τοῦ πατρὸς ὑπὲρ τοῦ δοκεῖν καλῶς διαπράττεσθαι*, nec negari potest valde impeditam et perplexam esse orationem poetae, quam vide an paulo expeditiorem reddat haec emendatio:

μάλιστα δ' ὅνπερ εἰκὸς Ὕλλον, εἰ πατρὸς
νέμοι τιν' ὤραν τοῦ καλῶς πράσσειν, μολεῖν.

h. e. *μάλιστα δ' Ὕλλον, ὅνπερ εἰκὸς ἦν μολεῖν, εἰ πατρός τιν' ὤραν νέμοι*, *mitte unum tuorum filiorum, ac prae ceteris Hyllum, quem ire decebat, si de salute patris sollicitus esset.*

Vs. 77.

ἆρ' οἶσθα δῆτ', ὦ τέκνον, ὡς ἔλειπέ μοι
μαντεῖα πιστὰ τῆσδε τῆς χώρας πέρι.

Pro *χώρας*, quod certissime mendosum est, Bergkius ex Dronkii coniectura *ὥρας* edidit, *hoc temporis momentum*, nisi fallit sententia, intelligens. Mihi non dubitari posse videtur, quin verum sit:

μαντεῖα πιστὰ τῆσδε τῆς πείρας πέρι,

quod conieci in Symbolis criticis ad Antigonam p. 30. Manifestum est respici quod Hyllus modo dixerat de Herculis expeditione contra Oechaliam.

Vs. 79.

ὡς ἢ τελευτὴν τοῦ βίου μέλλει τελεῖν,
ἢ τοῦτον ἄρας ἆθλον εἰς τὸν ὕστερον
τὸν λοιπὸν ἤδη βίοτον εὐαίων' ἔχειν.

Mira profecto loquutio *τελευτὴν τελεῖν*, quam ego in Symbolis criticis ad Antigonam p. 30. ita ad saniorem rationem revocari posse existimabam, si pro *τελεῖν* scriberetur *λύειν*, cuius verbi prima syllaba etsi alias producitur, non dubito tamen quin etiam corripi potuerit; similiter variat mensura verborum *κωλύω*, *φύω*, aliorum. Nauckio scribendum videbatur *περᾶν*. Secundo versu adhuc teneo quod l. l. conieci *εἰς τὸ καρτερόν*. Sensus est *hoc labore fortiter profligato*, ut dicitur *πρὸς τὸ καρτερόν*, *κατὰ τὸ καρτερόν*, *εἰς δεινόν*, *εἰς τὰ πάντα* etc.

Vs. 93.

ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα τίκ-
τει κατευνάζει τε φλογιζόμενον
Ἅλιον, Ἅλιον αἰτῶ.

Mirabile visum est noctem fini propinquam dici *ἐναριζομέναν*, mirabilius etiam eandem hanc noctem diem non modo parere, sed etiam sopire, quod rectius de nascente nocte dicendum erat. Ac prius illud ita explicari video, ut nox ad finem vergens diei spiculis confici dicatur. At quo pacto dies nondum natus matrem, i. e. noctem, conficere possit, non assequor. Enimvero meminisse decet cum poeta nobis rem esse, qui praeclara imagine hoc dicit: *die sterbende Nacht gebiert aus ihrem Schoofse den Sonnenstrahl.* Huic adiunxit poeta *κατευνάζει*, nullo iam ad *ἐναριζομένα* respectu habito, sed solam noctem ob oculos habens; in quo nihil est quod a poetica oratione alienum sit. *ἐναρίζειν* autem quum praeter usitatam significationem etiam interficiendi notionem habeat, mihi quidem poeta non nimium ausus esse videtur, quod noctem fini propinquam *ἐναριζομένην*, i. e. *θνήκουσαν*, appellarit. Nolim igitur locum hunc, in quo nihil non egregie dictum est, de vitio suspectum habere.

Vs. 101.

ποθουμένᾳ γὰρ φρενὶ πυνθάνομαι
τὰν ἀμφινεικῆ Δηιάνειραν οἷά τιν᾽ ἄθλιον ὄρνιν
οὔποτ᾽ εὐνάζειν βλεφάρων πόθον.

Medii *ποθεῖσθαι* nullum praeter hoc exemplum est, nisi fortasse apud Procopium a Dindorfio allatum Pers. 6. 11, 4. sed tali auctore nemo facile utatur ad defendendam librorum scripturam in poeta Attico. Omnino desiderii significatio hic minime apta est; quis enim laudabit dicentem *desiderante mente*

nunquam consopit oculorum desiderium? Hinc Schneidewini quoque interpretatio probari non potest, passivo sensu ποθουμένην φρένα dictum esse statuentis pro *desiderio agitatam*, ut mittam sic neminem unquam loquutum esse. Musgravii denique coniecturam πονουμένᾳ refutavit Hermannus. Me si audis, omnis difficultas loci sublata erit, si unius literulae transpositione scripseris πτοουμένᾳ φρενί, quod de amoris impotentia et aptissime et frequentissime dicitur.

Vs. 132.

μένει γὰρ οὔτ᾽ αἰόλα νὺξ βροτοῖσιν
οὔτε κῆρες οὔτε πλοῦτος, ἀλλ᾽ ἄφαρ βέβακε.

Vehementer dubito, num poeta rarissimum noctis epitheton αἰόλα, quo nusquam alias usus est, bis in eodem carmine posuerit, ac vereor ne ex principio carminis huc illatum aliam vocem ad oppositionis rationem fere necessariam expulerit. Ut enim statim κῆρες et πλοῦτος sibi opposita sunt, ita etiam nocti diem opponendum fuisse iure expectes. Quare suspicor scripsisse poetam:

μένει γὰρ οὔτ᾽ ἆμαρ οὔτε νὺξ βροτοῖσιν.

Neque omnino in hoc loco noctis epitheton expectes, quo etiam cetera substantiva carent.

Vs. 272.

τότ᾽ ἄλλοσ᾽ αὐτὸν ὄμμα, θατέρᾳ δὲ νοῦν
ἔχοντ᾽ ἀπ᾽ ἄκρας ἧκε πυργώδους πλακός.

Quo sensu dictum sit, Iphitum alio oculos alio mentem intendisse, nondum vidi qui ita explicarit, ut nulla dubitatio relicta sit. Fortasse ἔχων scribendum est, ut non Iphitus, sed Hercules alio oculos alio mentem direxisse dicatur. Fallere volebat Iphitum, itaque oculos intendit in eum locum, ubi Iphitus equos

quaerebat, mentem vero in Iphitum direxit, ex improviso illum oppressurus. Tum ἀπ' ἄκρας, quod Cobetus Var. Lect. p. 277. haud dubie κατ' ἄκρας scripturus fuisset, si Sophoclis locum memoria tenuisset, recte dictum esse ostendi ad Theocritum IX, 11. Denique pro ἧκε, *demisit*, fortius verbum requiro, ac quum scholiasta id per ἐδίσκευσε explicet, conicere possis poetam ἔδικε dedisse, quod legit hic fortasse Hesychius Ἔδικε· ἔβαλεν, ἔρριψεν. ac ῥιπτὸν μόρον Iphiti caedem poeta vocavit etiam vs. 357.

Vs. 295.

πολλή 'στ' ἀνάγκη τῇδε τοῦτο συντρέχειν.

Pro spurio hunc versum abiecit Wunderus, quem ego si quem alium Sophocle dignissimum esse puto. τῇδε, i. e. τῇ εὐτυχεῖ τύχῃ, τοῦτο, i. e. τὸ χαίρειν. Nec magis quae proxime antecedunt πανδίκῳ φρενί, in vitii suspicionem vocaverim: πάνδικος φρήν est animus summo iure id agens quod agit.

Vs. 308.

ἄνανδρος ἢ τεκνοῦσσα; πρὸς μὲν γὰρ φύσιν
πάντων ἄπειρος τῶνδε.

Vix reperias eorum, qui emendate loqui didicerunt, qui πάντα, ut hoc loco factum est, dixerit, ubi de duabus rebus sermo iniectus est. Scribendum opinor πάντως, quemadmodum omnes loqui solemus. Alius generis est quod vs. 573. legitur οὓ τότ' ἀολλεῖς ἴσαν εἰς μέσον, ubi male scholiasta καταχρηστικῶς ἐπὶ δύο τὸ ἀολλεῖς. Quo loco ἀολλεῖς nihil est nisi *simul*. Similiter ut in Sophoclis loco erratum est in Aeschyli Suppl. 276. ubi cum chorus Danaidum dixisset se Argivas esse Ionis propaginem, hoc utitur epiphonemate καὶ ταῦτ' ἀληθῆ πάντα προσφύσω λόγῳ, ubi κάρτα pro πάντα scribendum est.

Vs. 302.

εἴπ', ὦ τάλαιν', ἀλλ' ἡμὶν ἐκ σαυτῆς, ἐπεὶ
καὶ ξυμφορά τοι μὴ εἰδέναι σέ γ' ἥτις εἶ.

Male collocatam esse particulam *τοί* non fugit Dindorfium, sed non recte excusat poetam propter metri necessitatem. Scribendum potius *ξυμφορὰ τὸ μὴ εἰδέναι*, vel *ξυμφορά 'στι.*

Vs. 419.

οὔκουν σὺ ταύτην, ἣν ὑπ' ἀγνοίας ὁρᾷς,
Ἰόλην ἔφασκες Εὐρύτου σποράν ἄγειν;

Depravatissima verba scholiasta duce utcunque emendari possunt. Sic enim ille: *οὐ σύ, φησί, ταύτην, ἣν προσποιῇ ἀγνοεῖν, ἔλεγες εἶναι Ἰόλην;* Quae docere videntur hunc in suo libro habuisse *ἣν σύ γ' ἀγνοεῖν λέγεις*, vel *ἣν σύ γ' ἀγνοεῖν δοκεῖς.*

Vs. 506.

ἐγὼ δὲ μάτηρ μὲν οἷα φράζω.
τὸ δ' ἀμφινείκητον ὄμμα νύμφας
ἐλεινὸν ἀμμένει,
κἀπὸ ματρὸς ἄφαρ βέβακεν
ὥσπερ πόρτις ἐρήμα.

Priora verba nisi ex pluribus, certe ex duobus versibus contracta et quae relicta sunt multis modis mendosa esse apertum est. Sensum fuisse puto hunc: Deianirae mater quas animo curas agitaverit ignoro, ut tale quid a poeta scriptum fuisse videatur: *ἐγὼ δὲ μάτηρ μὲν οἷα φράζεται μαθεῖν οὐκ ἔχω.* Quae, ne quis erret, exempli causa posui. Postremo versu, ut de *ἐλεινόν*, quod item corruptum videtur, taceam, quaedam apographa ad graecitatis usum rectius habent *ὥστε.* At fortasse neque hoc neque illud a poeta profectum est, ac nescio an melius absit comparativa

particula. Pro *ἐρήμα*, quod de matre, quam filia destituit, aptissime, de filia novum maritum sequente non apte dicitur, scribendum suspiceris *ἐρήμας*. Cf. Aiac. 986. *μή τις ὡς κενῆς σκύμνον λεαίνης δυσμενῶν ἀναρπάσῃ.*

Vs. 547.

ὁρῶ γὰρ ἥβην τὴν μὲν ἕρπουσαν πρόσω
τὴν δὲ φθίνουσαν, ὧν ἀφαρπάζειν φιλεῖ
ὀφθαλμὸς ἄνθος, τῶν δ' ὑπεκτρέπει πόδα.

Dindorfio haec negligentius dicta, Nauckio insanabile vulnus suscepisse videntur. Negligentiae crimen nolim poetae intendi, artificiose quidem et exquisite, saepe etiam propter immodicum novitatis studium obscure loquenti, at orationem ad summam subtilitatem limanti. Neque assentior *ὧν* pro *τῶν μέν* dictum statuentibus, rectius dixeris pro *ὧν τῆς μὲν* positum esse: quarum (*ἡβῶν*) alteram decerpit cupidi viri amor. huic opponit *τῶν δέ*, quod neutrius generis est, ut saepe neutra inferuntur ubi masculinum vel femininum praecedit, velut Aiac. 275. ne plura commemorem. Ita si intelligas locum, nulla manet vitiatae scripturae suspicio, nisi forte *ὀφθαλμός* verecundius dictum est de amore mariti, adspectu non contenti, sed usum appetentis. Forsan igitur *ὁ θάλαμος* scripsit poeta. Sed confer Aeschylum Prom. 654. *ὡς ἂν τὸ Δῖον ὄμμα λωφήσῃ πόθου*, ubi *Δῖον ὄμμα* mera est *Διός* circumloquutio, ut *ὄμματα πειθοῦς* Eumen. 970. et *κελαινῆς νυκτὸς ὄμμα* Pers. 428. quod nolente, ut equidem existimo, poeta *οἶμα* scribi voluit Heimsöth.

Vs. 559.

βροτοὺς
μισθοῦ 'πόρευε χερσίν, οὔτε πομπίμοις
κώπαις ἐρέσσων οὔτε λαίφεσιν νεώς.

Velis navigium non ἐρέσσεται, quare facile quis ad alteram sententiae partem verbum desideret, e. c. οὔτε λαίφεσιν πλέων. Sed videtur ferri posse librorum scriptura, in qua ad λαίφεσιν aut ex verbo finito participium πορεύων, aut ex ἐρέσσων ipsum illud πλέων cogitatione assumendum est.

Vs. 661.

τᾶς πειθοῦς παγχρίστῳ
συγκραθεὶς ἐπὶ προφάσει θηρός.

Locus hic multorum coniecturis tentatus fortasse nunquam ad genuinam formam revocabitur. Strophici versus hi sunt:

νῦν δ' Ἄρης οἰστρηθείς
ἐξέλυσ' ἐπιπόνων ἁμερᾶν.

Ita enim recte Dindorfius ex emendatione Erfurdtii correxit librorum scripturam ἐπίπονον ἁμέραν, sed in antistrophicis versibus ad legitimam responsionem revocandis viro acutissimo accedere non ausim. Sic autem hos versus deleto παγχρίστῳ constituit:

τᾶς πειθοῦς συγκραθεὶς
– ◡ – ἐπὶ προφάνσει θηρός.

Hoc quidem certum est ἐπὶ προφάσει θηρός non posse significare *quemadmodum Nessus praedixit*, quod si per metrum liceret, ἐπὶ προφράσει scribendum esset; at substantivo πρόφανσις certo non usus est Sophocles: praeterea pro θηρὸς iambici pedis mensura requiritur. Haec omnia perpendenti non improbabile videbitur scripsisse poetam συγκριθεὶς ἐπιπρὸ θηρὸς φράσει, hoc sensu, ut Hercules abhinc (ἐπιπρό, *hinfort*) Deianirae conciliatus esse dicatur. Adverbio ἐπιπρό Apollonius Rhodius certo nec primus nec solus est usus; συγκριθῆναι non differt a συγκραθῆναι, ut ostendit notus versus Epicharmi συνεκρίθη καὶ διεκρίθη κἀπῆνθεν ὅθεν ἦνθεν ταχύ. Superest

παγχρίστῳ, in quo quid lateat vel quomodo interpretandum sit, nec mihi eruere neque aliis contigit.

Vs. 676.

ἀλλ' ἐδεστὸν ἐξ αὐτοῦ φθίνει
καὶ ψῇ κατ' ἄκρας σπιλάδος· ὡς δ' εἰδῇς τὸ πᾶν —

Verbum *ψῆν* poetam passiva potestate dixisse prorsus incredibile est, praesertim quum paulo inferius vs. 698. *ἔψηκται* dixerit. Noli igitur dubitare quin vitium alat locus ita forsan scribendus:

καὶ ψῇ κατάκρας σπιλάδας,

i. e. pavimenti lapides funditus comminuit, vel sic:

καὶ ψῇ κατάκρας σπιλάδα· χὡς εἰδῇς τὸ πᾶν —

quod illo haud paulo elegantius est. At restat nonnihil dubitationis de nomine *σπιλάς*, quod de pavimento dici posse nemo adhuc demonstravit nec unquam demonstrabitur. Quare fuit quum de nomine *σκιράς* restituendo cogitarem, quo durum solum indicari notum est: *σκῖρον καὶ ἄρρηκτον γᾶν* coniungunt Tabulae Heracleenses, et *σκιράδα γῆν* habes apud schol. Aristophanis Vesp. 526. Itaque suspicari possis:

καὶ ψῇ κατάκρας σκιράδ'· ὡς δ' εἰδῇς τὸ πᾶν —

Vs. 699.

μορφῇ μάλιστ' εἰκαστόν, ὥστε πρίονος
ἐκβρώματ' ἂν βλέψειας ἐν τομῇ ξύλου.

Non offenderunt critici in loco aperte vitiato, in quo ut nunc scriptus fertur non *ὥστε* expectabam sed *ὡς*. In Laur. secundo versu scriptum est *ἐκβρώματ' ἐκβλέψειας*, quae ad hanc scripturam ducere videntur: *ὡς εἰ πρίονος ἐκβρώματ' εἰσβλέψειας*, *quasi si videas*. *ἐκ* et *εἰς* permutari vulgatum est. In

Philoct. 481. *ἔμβαλοῦ μ' ὅποι θέλεις μ' ἄγων* Laur. habet *ἐκβαλοῦ*, i. e. *εἰσβαλοῦ*.

Vs. 716.

ἐκ δὲ τοῦδ' ὅδε
σφαγῶν διελθὼν ἰὸς αἵματος μέλας
πῶς οὐκ ὀλεῖ καὶ τόνδε;

Non iniuria Nauckius accusat orationem impeditam et propter triplicem prominis demonstrativi iterationem obscuriorem; interpolatum autem locum non dixerim. Sufficit opinor pro *ἐκ δὲ τοῦδ' ὅδε*, in quibus *ὅδε* ad *ἰὸς* trahitur, facillima correctione reponere *ἐκ δὲ τοῦδε δή*.

Vs. 763.

καὶ πρῶτα μὲν δείλαιος ἵλεῳ φρενὶ
κόσμῳ τε χαίρων καὶ στολῇ κατηύχετο.

Miror interpretibus non offensioni fuisse, quod Hercules inter preces bilari mente fuisse novaeque vestis ornatu superbiise dicitur. Preces conceptis verbis et hieratica gravitate fundebantur, ut nullus inter eas lascivienti hilaritati locus esset. Scribendum opinor:

κόσμῳ τε χαίρων καὶ στολῇ κατήρχετο,

quod verbum de auspicandis sacris dici constat. V. Kusterum ad Aristophanis Av. 960. et quae Monckius ad Eurip. Alc. 74. attulit.

Vs. 781.

κόμης δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκραίνει μέσον
κρατὸς διασπαρέντος αἵματος θ' ὁμοῦ.

Hos versus quamquam iam Athenaeus II p. 65f. in suo Trachiniarum exemplari repperit, interpolatori deberi ostendisse mihi videor in Symbolis criticis ad Antigonam p. 42.

Vs. 788.

ἐσπᾶτο γὰρ πέδονδε καὶ μετάρσιος.

Ex scholiastae interpretatione, *σπασμῷ κατείληπτο ἐπὶ γῆς κείμενος*, suspiceris hunc non *πέδονδε* interpretari, sed *πέδοι τε*. Praeferenda haud dubie librorum scriptura; non displiceret tamen *πέδον τε καὶ μετάρσιος*.

Vs. 805.

καί νιν αὐτίκα
ἢ ζῶντ᾽ ἐσόψεσθ᾽, ἢ τεθνηκότ᾽ ἀρτίως.

Confestim eum aut vivum aut recens mortuum videbitis. Haec non est naturae humanae conveniens oratio, quae hoc potius dici requirebat: aut morti propinquum aut recens mortuum videbitis. Ad sententiam aptum esset *καί νιν αὐτίκ᾽ ἢ δύσζων ἐσόψεσθ᾽ ἢ τεθνηκότ᾽ ἀρτίως*, a *δύσζως*, *aegre vitam sustentans*. Forsan tamen non opus est tanto molimine sufficitque *ἢ ζῶντ᾽ ἔτ᾽ ὄψεσθε*. Ita enim qui loquitur, ostendit sane exiguam vitae spem adhuc superesse.

Vs. 835.

δεινοτάτῳ μὲν ὕδρας προστετακὼς φάσματι.

Inepte dictum est *φάσματι*, pro quo *ῥάσματι* scribendum esse coniciebam, quum vidi idem Hermanno in mentem venisse, cuius certissimam emendationem criticos fastidiose aspernatos esse, ut ne commemorandam quidem esse duxerint, satis mirari non possum.

Vs. 824.

ἔλακεν, ὁπότε τελεόμηνος ἐκφέροι
δωδέκατος ἄροτος, ἀναδοχὰν τελεῖν πόνων
τῷ Διὸς αὐτόπαιδι.

Manifestum est dici contrarium eius quod expectabas. Quod

enim nonnulli τελεῖν intransitive dictum statuunt et sensum esse *suscipiendis laboribus finem impositum iri*, merito repudiavit Dindorfius, qui recte vidit ἀναδοχάν, quod ad sensum scholiasta bene per ἀνάπαυσιν, ἀνακωχήν, ἀνοχήν explicat, corruptum esse: at exiguum probabilitatis colorem habet quod ipse coniecit ἀνάλυσιν. Scribendum:

ἀναπνοὰν τελεῖν πόνων,

quod de laborum requie praeter Euripidem Iphig. T. 92. καὶ ταῦτα δράσαντ' ἀναπνοὰς ἕξειν πόνων dixit Ariphron apud Athenaeum XV p. 702. b. εἴ τις ἀνθρώποισι τέρψις ἢ πόνων ἀμπνοὰ πέφανται.

Vs. 855.

ἐπέμολεν πάθος οἰκτίσαι.

Laur. ἀπέμολε; strophicus versus est προσέβαλεν, τὰ δ' ἀπ' ἀλλόθρου. Malim igitur:

προσέμολεν πάθος οἰκτίσαι,

de quo dixi in Symbolis criticis ad Antig. p. 49. Notum est ἀπὸ et πρὸς in codd. iisdem propemodum ductibus exarari. Sed totum locum adscribam ut in libris legitur:

κέχυται νόσος, ὦ πόποι, οἷον ἀναρσίων
οὔπω ἀγακλειτὸν Ἡρακλέους
ἀπέμολε πάθος οἰκτίσαι.

Quibus in stropha haec sunt opposita:

μεγάλαν προσορῶσα δόμοισι βλάβαν νέων
ἀισσόντων γάμων, τὰ μὲν οὔτι
προσέβαλε, τὰ δ' ἀπ' ἀλλόθρου —

Secundum versum antistrophicorum, aperte metrico vitio laborantem, Dindorfius ingeniosa quidem, at quae probabilitatis fines longe excedit, coniectura ita refinxit:

οὔπω Ζηνὸς κέλωρ᾽ ἀγακλειτόν,

quum lenior emendandi ratio suppetat haec:

ουπω παγκλειτὸν Ἡρακλέ᾽ οὐ —

(vel *Ἡρακλέα*) et in strophico versu:

ἀισσόντων γάμων, τὰ μὲν οὐ
προσέμολε πάθος οἰκτίσαι.

Nimirum *τι* in *ουτι* ex litera *π* sequentis vocis natum est. *προσμολεῖν* cum accusativo coniunxit Sophocles Aiac. 721. *οὐ* post *οὔπω* illatum est, ut *οὔπω* post *οὐ* vs. 159. nisi, ut dixi, *Ἡρακλέα* scribere praestat.

Vs. 863.

πότερον ἐγὼ μάταιος, ἢ κλύω τινός —

Ante haec hemichorii verba excidisse videtur nutricis eiulatio ex aedibus erumpens, *ἰώ μοι μοι* vel similis quaedam. Gemella rerum facies est Electr. 77 sqq. Aiac. 974.

Vs. 903.

κρύψασ᾽ ἑαυτὴν ἔνθα μή τις εἰσίδοι.

Non assequor quo pacto Deianira in occulto delitescere potuerit, quum ea in sequentibus narrentur, quae eam ante omnium oculos versatam esse aperte demonstrent: neque profecto arae, quibus advolvitur regina, obscuro loco positae erant. Quare versum illum ab interpolatoris manu ex alio poetae dramate huc transcriptum esse suspicor.

Vs. 910.

αὐτὴ τὸν αὑτῆς δαίμον᾽ ἀγκαλουμένη
καὶ τὰς ἄπαιδας ἐς τὸ λοιπὸν οὐσίας.

Alterum versum, de quo partim perineptae a criticis sententiae prolatae sunt, non delendum esse credo, sed leni correctione adhibita post vs. 905 transponendum:

κλᾶε δ' ὀργάνων ὅτου
ψαύσειεν οἷς ἐχρῆτο δειλαία πάρος,
καὶ τὰς ἄδαιδας ἐς τὸ λοιπὸν οὐσίας,

i. e. luxuriae apparatum in posterum facium luce non collustratum. Cf. Aeschylus Choeph. 531. *πολλοὶ δ' ἀνῆϑον λαμπτῆρες ἐν δόμοισι δεσποίνης χάριν.* Incertus poeta apud Plutarchum Mor. p. 759. F. *ἐφέσπερον δαίουσα λαμπτῆρος σέλας.* Plura de his foculis collegit Lobeckius ad Sophoclis Aiac. 285. *οὐσίας* quin recte intellexerim mihi non dubium est; qui *οἰκίας* reponi voluerunt, obstruserunt poetae vocabulum a tragicorum usu prorsus alienum.

Vs. 913.

κἀγὼ λαϑραῖον ὄμμ' ἐπεσκιασμένη
φρούρουν· ὁρῶ δὲ τὴν γυναῖκα δεμνίοις
τοῖς Ἡρακλείοις στρωτὰ βάλλουσαν φάρη.

Scribendum suspicor *σῶμ' ἐπεσκιασμένη*. Nutrix in thalamo, in quem per posticam ianuam intraverat, sese abdiderat; per rimam si spectasset quae Deianira agebat, id aliter poeta dicturus fuisset. Et quo iure regio cubiculo affingitur ianua rimis fatiscens? Delitescebat igitur in obscuro thalami angulo, idque *σῶμ' ἐπεσκιασμένη* dicendum erat, non *ὄμμα*, quod de eo rectius dicitur qui oculos praetenta manu obumbrat, ut in Oedipo Col. 1446. *ὀμμάτων ἐπίσκιον χεῖρ' ἀντέχοντα κρατός*, quod etiam sic efferri poterat *ὄμματα χειρὶ ἐπεσκιασμένον.*

Vs. 927.

κἀγὼ δρομαία βᾶσ', ὅσονπερ ἔσϑενον,
τῷ παιδὶ φράζω τῆς τεχνωμένης τάδε.

Non recte hic positum esse verbum *τεχνᾶσϑαι* qui intellexit Bergkius, coniecit *φράζω μηχανωμένης τάδε.* Equidem praeferam

τῷ παιδὶ φράζω τῇσδε μωμένης τάδε,

quod illo cum ad mutationem expeditius tum ad sensum aptius. ac confirmat hanc emendationem scholiastae explicatio quamvis falsa *τῷ παιδὶ τῆς ταῦτα τολμώσης*, quam notionem habet fere alias verbum *μᾶσθαι*, ut in Oedipo Col. 836. *σοῦ μὲν οὔ, τάδε γε μωμένου*, i. e. *τάδε γε τολμῶντος*. Eodem verbo in hac ipsa fabula usus est Sophocles vs. 1136.

Vs. 943.

τοιαῦτα τἀνθάδ' ἐστίν· ὥστ' εἴ τις δύο
ἢ καὶ πλέους τις ἡμέρας λογίζεται,
μάταιός ἐστιν· οὐ γάρ ἐσθ' ἥ γ' αὔριον,
πρὶν εὖ πάθῃ τις τὴν παροῦσαν ἡμέραν.

Sophoclis haec esse non adducor ut credam. Verbis primis, *τοιαῦτα τἀνθάδ' ἐστί*, parum eleganter nimiumque praecipiti transitu sequentia iungi, quis monitus non sentiat? *πλέους* pessima forma est, quamquam hoc quidem incommodum elegans removit Dindorfii emendatio *ἢ καί τι πλείους;* tum *λογίζεσθαι δύο ἡμέρας* graece significat *computare*, vel *computando reperire duos dies*. ille autem qui hos versus scripsit dixit pro *εἴ τις δύο ἡμέρας ἑαυτοῦ εἶναι λογίζεται*. Cf. Euripidis Alc. 789. Ineptum porro quod dicit, *si quis duo vel etiam plures numerat*, re ipsa postulante ut in amplificatione sententiae minor numerus maiori inferatur, non maior minori. Quis ferat dicentem: *wenn sich jemand auf zwei oder auch allenfalls* (id enim fere significat *τι*) *auf mehrere Tage Rechnung macht?* Postrema autem prorsus absurda sunt: crastinus dies non potest in numero haberi, nisi praesentem laete transegeris. *τὸ εὖ πάσχειν* hic prorsus importune illatum est; satis erat dici, si quis hodiernum diem transegerit: laetus an tristis transegerit nihil ad rem.

Credo me effecisse quod volebam, totam illam perorationem ab inepto falsario esse compositam et in locum genuinorum versuum suffectam: nam peroratione carere nutricis oratio sane non potuit.

Vs. 962.

ἀγχοῦ δ' ἄρα κοὐ μακρὰν
προὐκλαιον ὀξύφωνος ὡς ἀηδών·
ξένων γὰρ ἐξόμιλος ἥδε τις βάσις.
πᾶ δ' αὖ φορεῖ νιν; ὡς φίλου
προκηδομένα βαρεῖαν ἄψοφον φέρει βάσιν.

Versu tertio ξένων βάσις per se rectissime dictum est. at quum eadem haec βάσις in sequentibus ἄψοφον βάσιν φέρειν dicatur, non improbabile videri potest, unius literae mutatione scribendum esse ἥδε τις στάσις, quod frequens est de hominum coetu*). Ac στάσις hic olim lectum fuisse, non βάσις, ostendit scholiasta ad hunc versum ἄθροισμα ξένων ἀνδρῶν et ad 965. ποῦ καὶ φέρει αὐτὸν ὁ ὅμιλος. Vides ubique perlucere στάσις; sed ἐξόμιλος quid sit nemo adhuc docuit neque doceri potest. *Peregrinus* interpretantur alii, alii *insuetus*, utrumque temere; nec pertinet huc allatus ab Hermanno Euripides Iph. Aul. 735. οὐ καλὸν ἐν ὄχλῳ σ' ἐξομιλεῖσθαι στρατοῦ. Suspicor ὅμιλος glossam interlinearem esse voci στάσις superscriptam, quae in textum illata expulit vocem genuinam, ex qua nihil relictum est quam ἐξ. Ea quae fuerit certo dici non potest; licebit tamen coniecturam periclitari, si non veram, at veri tamen si-

*) Eodem referebam hoc anonymi poetae fragmentum apud Hesychium Σιγλοφόρων στάσις εὐνούχων. Nisi haec de seditione in aula regis Persarum ab eunuchis mota intelligere malis. Fragmentum hoc e *Persicis* Choerili derivatum opinor, etiam alias ab Hesychio tacito poetae nomine ad partes vocatis.

millimam. Quid enim est quod Laur. ceterique codices omnes ante ξένων addunt vocem ξένοι, ab Hermanno pro epigraphe habitam, a Triclinio autem, quem omnes sequuti sunt, deletam? Vide igitur ne totum versum poeta ita scripserit:

ξένη ξένων γὰρ ἦξεν ἥδε τις στάσις.

Cui commendando afferre sufficit Aeschyli Eum. 660. ἣ δ' ἅπερ ξένῳ ξένων ἔσωσεν ἔρνος. Sophoclis Oed. Col. 184. τόλμα ξεῖνος ἐπὶ ξένης. Philoct. 135. τί χρὴ — ἐν ξένᾳ ξένον στέγειν; Lycophr. Alex. 415. ἐπὶ ξένης ξένοι παῶν ἔρημοι δεξιώσονται τάφους. Cf. Aesch. Prom. 29. θεὸς θεῶν γὰρ οὐχ ὑποπτήσσων χόλον. Soph. Trach. 613. θυτὴρ δὲ καινῷ καινὸς ἐν πεπλώματι*). In quarto versu editae scripturae longe praestare puto πᾷ καὶ φορεῖ νιν, quod scholiasta legisse videtur.

Vs. 966.

τί χρὴ θανόντα νιν ἢ καθ' ὕπνον ὄντα κρῖναι;

Pro θανόντα Bothius θάνατον coniecit, quod nollem recepisset Dindorfius. Quis enim unquam κατὰ θάνατον εἶναι dixit, ut καθ' ὕπνον εἶναι? Nihil certius, nihil evidentius est quam quod Hermannus posuit φθίμενον, quod constanter glossographi per θανόντα explicant. Hesychius Ἀποφθίμην· ἀποθάνοιμι. Ἀποφθίμενον· ἀποθανόντα. Φθίμενοι· θανόντες. Φθίμενος· θανών. Tum recte Reiskius κάθυπνον scripsit pro καθ' ὕπνον, quod etsi defendi potest e Philoct. 30. ὅρα καθ' ὕπνον μὴ καταυλισθεὶς κυρῇ, multo tamen probabilius est Sophoclem praetulisse adiectivum.

*) Nollem pro his nuper coniectum esset κλεινῷ κλεινὸς ἐν πεπλώματι. Novus θυτήρ dicitur Hercules rectissime *novum in modum ornatus*; κλεινὸν πέπλωμα autem de splendida veste dici posse non credibile est.

Vs. 985.

κεῖμαι πεπονημένος ἀλλήκτοις
ὀδύναις· οἴμοι ἐγὼ τλάμων.
ἡ δ' αὖ μιαρὰ βρύκει. φεῦ.

Alterum versum una syllaba minorem Bergkius ita strophico versui accommodavit:

ὀδύναις ὧδ'· οἴμοι ἐγὼ τλάμων.

Fortasse recte; facilius tamen fuerit:

ὀδύναις· ὤμοι μοι ἐγώ τλάμων.

Neque tertius versus respondet strophico,

στόμα σόν. πῶς φῄς; γέρον. ἦ ζῇ;

ut alteruter medelam requirat, quam ego strophico potius quam opposito adhibendam censeo. Scribendum videtur:

στόμα σόν· πῶς φῄς; ἦ ζῇ γάρ.

Plane ita loquutus est in Electra vs. 1219. πῶς εἶπας, ὦ παῖ; ἦ ζῇ γὰρ ἀνήρ. Nimirum γάρ in γέρον abiit errore facili, quod deinceps a metricis ante ἦ ζῇ transpositum est.

Vs. 1018.

ὦ παῖ τοῦδ' ἀνδρός, τοὔργον τόδε μεῖζον ἀνήκει
ἢ κατ' ἐμὰν ῥώμαν· σὺ δὲ σύλλαβε· σοί τε γὰρ ὄμμα
ἔμπλεον ἢ δι' ἐμοῦ σώζειν.

Postrema mirifice torserunt criticorum ingenia inde a scholiasta, cuius haec est annotatio: σὺ γὰρ νέος εἶ καὶ ὀξύτερόν σου τὸ ὄμμα πρὸς τὸ σώζειν τὸν πατέρα μᾶλλον ἢ δι' ἐμοῦ. Quae refutare nihil attinet; neque meliora protulere alii, sive explicare quod in libris est volentes, sive emendare corrupta conantes. Sophocles, ni fallit coniectura, scripsit:

σὺ δὲ σύλλαβέ μοι· τὸ γὰρ ὁρμᾷ
ἐς πλέον ἢ δι' ἐμοῦ σώζειν.

Tu, inquit, socias mihi praebe manus; nam morbi malum illud graviore impetu (ἐς πλέον) ingruit, quam ut solus per me Herculem servare possim. Vides eadem opera particulas τε γάρ removeri, quarum sic coniunctarum nullum in atticis poetis exemplum est. Postrema verba ἢ δι' ἐμοῦ σώζειν, cum nihil differant a proxime antecedentibus ἢ κατ' ἐμὰν ῥώμαν, fortasse ita scribenda sunt ἢ δίχα σοῦ σώζειν, sive quod malim ἢ δίχα σοῦ σωκεῖν, *quam ut absque te satis virium habeam.*

Vs. 1021.

λαθίπονον δ' ὀδυνᾶν οὔτ' ἔνδοθεν οὔτε θύραθεν
ἔστι μοι ἐξανύσαι βίοτον. τοιαῦτα νέμει Ζεύς.

Ita haec nunc ad Musgravii mentem eduntur, libris pro *βίοτον* porrigentibus *βιότου*, quod licet ferri non possit, non valde tamen placet quod nunc Hyllus respondet, non posse se *vitam* Herculis a doloribus tutam praestare, quum illud hic tantum agatur, ut a morbo se Herculem liberare posse neget. Forsan igitur scribendum *ἔστι μοι ἐξανύσαι διόλου.* Primo versu mirabar mensuram compositi *λαθίπονος*, memor in aliis eiusdem generis primam corripi, e. c. in *λαθικήδης* apud Homerum et Alcaeum, in *λαθίφθογγος* apud Hesiodum, in *λαθιφροσύνη* apud Apollonium Rhodium. Itaque *λασίπονον* scribendum esse dicerem, nisi eadem mensura *λαθίπονος* iterum legeretur Aiac. 711. Quare ita statuendum videtur, alterum ad *λαθεῖν*, alterum ad *λήθειν* referendum esse.

Vs. 1073.

ἀλλ' ἀστένακτος αἰὲν ἑσπόμην κακοῖς.

Pro *ἑσπόμην* scholiasta Aiac. 317. *εἱπόμην* habet, quod iure praefert Elmsleius, nisi id ex *εἰχόμην* corruptum dicas. Non credo enim recte dici *ἕπεσθαι κακοῖς* pro *sequi labores*, *μετιέ-*

ναι κακά. Sed ἕπεσθαι hic positum videtur ut in Electr. 28. κα̉ὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπει, et κακοῖς cum ἀστένακτος coniungendum.

Vs. 1085.

ὦναξ Ἅιδη δέξαι με,
ὦ Διὸς ἀκτὶς παῖσον,
ἔνσεισον, ὦναξ, ἐγκατάσκηψον βέλος.

Qui recte versus recitare didicerit, sentiet, opinor, non bene παῖσον et ἔνσεισον sic coniuncta sub diversum ictum cadere; quare malim ὦ Διὸς ἀκτίς, ὦ παῖσον, ἔνσεισον, ut duo paroemiacos poeta coniunxerit, quo ad meum sensum haud parum augetur sententiae vis. Quamquam possis etiam conicere ὦ Διὸς ἀκτὶς παῖσόν με.

Vs. 1110.

ἵν' ἐκδιδαχθῇ πᾶσιν ἀγγέλλειν ὅτι
καὶ ζῶν κακούς γε καὶ θανὼν ἐτισάμην.

Fortasse praestiterit scribere ἀγγείλῃ θ' ὅτι. non enim id agit Hercules, ut Deianiram doceat omnibus palam facere se malos punire, sed ut ipsa id doceatur et edocta omnibus palam faciat. τε secundae voci subicitur ut saepe apud Aeschylum. Mox κακούς γε *malos quidem* recte habere videtur. Cobetus κακούργους malebat, Bergkius κακοῦργα. Mire autem dicit θανών, pro quo θνήσκων expectes: sed dandum hoc commoto loquentis animo.

Vs. 1158.

φανεῖς ὁποῖος ὢν ἀνὴρ ἐμὸς καλεῖ.

In his ἀνήρ ad ὁποῖος non minus supervacaneum est, quam υἱός ad ἐμός non quidem necessarium, at optabile tamen. Forsan igitur scribendum:

φανεῖς ὁποῖος ἂν ἐμὸς καλεῖ γόνος.

Exciderat γόνος describentis incuria; tum supervenit qui versum redintegraret addendo ἀνήρ.

Vs. 1113.

ὦ τλῆμον Ἑλλάς, πένθος οἷον εἰσορῶ
ἕξουσαν, ἀνδρὸς τοῦδε γ' εἰ σφαλήσεται.

Parum placere mihi fateor hanc orationis conformationem, qua sic subito a secunda persona ad tertiam transitur. Facilius feram ubi contrarium fit in locis qualis e. c. hic est vs. 227.

χαίρειν δὲ τὸν κήρυκα προὐννέπω, χρόνῳ
πολλῷ φανέντα, χαρτὸν εἴτι καὶ φέρεις.

Quod recte dictum est; ac fortasse etiam in superiore loco omnia recte habent, modo post verba ὦ τλῆμον Ἑλλάς vocem aliquantulum inhibeas. Non silebo tamen fuisse quum in altero versu σφαλεῖσ' ἔσει scribendum putarem. Rara quidem est et a Cobeto Var. Lect. p. 320. prorsus reiecta haec periphrastica futuri forma, non tamen exemplis plane destituta. Certe in Antig. 1054. ἐν οἷσι τῶν σῶν αὐτὸς ἐκ σπλάγχνων ἕνα νέκυν νεκρῶν ἀμοιβὸν ἀντιδοὺς ἔσει, non video equidem quo pacto removeri possit haec structura, nisi eo audaciae procedere velis ut poetam scripsisse dicas τῶν σῶν αὐτὸν — ἀντιδοῦν σε δεῖ. Nec magis expedita est emendatio Oedipi Col. 816. ἦ μὴν σὺ κἄνευ τοῦδε λυπηθεὶς ἔσει, vel Oedipi R. 1146. οὐκ εἰς ὄλεθρον; οὐ σιωπήσας ἔσει; At cave huc trahas Aeschylum Suppl. 460. λέξον τίν' αὐδὴν τήνδε γηρυθεῖσ' ἔσει, quae vitiata esse vel passiva aoristi forma γηρυθεῖσα ostendit. Scribendum suspicor:

λέξον τίν' αὐδὴν τήνδε γηρύειν σ' ἐρεῖς.

Vs. 1132.

αὐτὴ πρὸς αὑτῆς, οὐδενὸς πρὸς ἐκτόπου.

Perineptum mihi videtur Deianiram, quae sua se manu confoderat, dici a nullo qui extra domum esset interfectam esse. Quis enim scholiastae credat *ἐκτόπου* per *ἄλλου* explicanti? et tamen fidem ei habuerunt interpretes. Scribendum potius quod in Symbolis criticis ad Antigonam p. 46. conieci, *οὐδενὸς πρὸς ἐντόπου, a nemine eorum qui intus erant.* Huic recte opponitur *πρὸς αὑτῆς*, ut vs. 676. *ἠφάνισται διάβορον πρὸς οὐδενὸς τῶν ἔνδον, ἀλλ' ἐδεστὸν ἐξ αὑτοῦ φθίνει*, quibus in verbis *τῶν ἔνδον* non neutrum, sed masculinum est. Neminem eorum, qui intus essent, in causa fuisse dicit, cur letale virus absumeretur.

Vs. 1166.

ἃ τῶν ὀρείων καὶ χαμαικοιτῶν ἐγὼ
Σελλῶν ἐσελθὼν ἄλσος εἰσεγραψάμην.

Elmsleius tentabat *ἐξεγραψάμην*, quae Dindorfio probabilis, mihi adeo improbabilis esse videtur coniectura, ut apud Aristophanem Av. 982. quo teste utitur Elmsleius, item *εἰσεγραψάμην* scribendum putem. Oraculum consulentes responsa pugillaribus inscribebant.

Vs. 1175.

καὶ μὴ 'πιμεῖναι τοὐμὸν ὀξῦναι στόμα.
αν

Laur. a prima manu habet *μὴ παμῆναι*, unde conicias *καὶ μὴ ἀναμεῖναι*. Verbi *μένειν* cum infinitivo coniuncti haud rara sunt exempla inde ab Homero, cuius notum est illud *μένον δ' ἐπὶ ἕσπερον ἐλθεῖν*. Atque ita etiam locus Trachiniarum explicari potest, *non cunctari te decet, dum meum os acuas.* Nescio tamen an scripserit poeta:

καὶ μὴ ἀναμείναντ' ἀμὸν ὀξῦναι στόμα,

neque tergiversando iram meam provocare. Quae his proxime inferuntur:

ἀλλ' αὐτὸν εἰκαθόντα συμπράσσειν νόμον
κάλλιστον ἐξευρόντα πειθαρχεῖν πατρί,

in iis *ἐξευρόντα* non ita explicatum video, ut nulla maneat corruptelae suspicio. Equidem conieci *ἐκφέροντα*, i. e. *τελοῦντα*, *exemplo tuo ratam faciens* legem, ut *ἐκφέρειν χρησμόν* dicitur. Cf.Elmsleius ad Oedipum Colon. 1426. Causa vitii, si modo est vitium, hic quoque fuit recens pronunciatio, qua *φέρειν* et *εὑρεῖν* simillimo sono efferebantur.

PHILOCTETES

Vs. 22.

Ἅ μοι προσελθὼν σῖγα σήμαιν' εἴτ' ἔχει
χῶρον πρὸς αὐτὸν τόνδε γ' εἴτ' ἄλλῃ κυρεῖ.

Non dixerim h. l. neglectam esse a poeta legem de quinti pedis structura, ut praeter Porsonum, *σημαίνειν ἔχει* corrigentem, Elmsleius statuit. Apostrophi enim baec vis est, ut duo vocabula arctissime coniungat; ac nescio an hinc excusatio parata cum aliis locis tum Euripideo *Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοισ' οὐρανόν*, et Sophocleo Ai. 1102. *ἔξεστ' ἀκούειν ὧν ὅδ' ἡγεῖτ' οἴκοθεν*. Non nego tamen etiam huius generis versus esse rarissimos, certe excludenda sunt exempla qualia sunt Sophoclis Electr. 409. *πρὸς τοῦ φίλων πεισθεῖσα; τῷ τοῦτ' ἤρεσεν;* et 413. *εἴ μοι λέγοις τὴν ὄψιν εἴποιμ' ἂν τότε*, quae alia lege reguntur. Quamqnam igitur numeros, quales praescriptus versus exhibet, non praefracte abiudicarim a tragicis poetis, minime tamen coniectura inferendos existimo, ut Bergkius fecit Aiac. 771. quamvis pereleganti emendatione scribens *εἶτα δεύτερον δίας Ἀθάνας ἡνίκ' ὤτρυν' ὅσσα νιν*, quem locum eos recte curasse arbitror, qui *δίαν Ἀθάναν* scribi voluerunt, genetivis manifesto ex vs. 756. iteratis. Sed in eo quem tractare institui

versu etiam aliud accedit quod editam scripturam incertam faciat; dico verbum *ἔχει*, cui quod Hermannus substituit *ἐκεῖ*, ne ipsum quidem eiusmodi est ut satisfaciat. Mei si res arbitrii esset, scriberem ego:

ἅ μοι προσελθὼν σῖγα σημαίνειν σε δεῖ,

in quo inest *σχῆμα σολοικοφανές*, cui praeter alia multa simile est hoc Euripidis Hippol. 23. *τὰ πολλὰ δὲ πάλαι προκόψασ' οὐ πόνου με δεῖ*, et Fragm. 583. *πάλαι σ' ἐρωτῆσαι θέλων σχολή μ' ἀπείργει.* In altero Sophoclis versu pro *τόνδε γ'* codex *τόνδε* habet, pro quo Elmsleius *τόνδ' ἔτ'* edidit, quod non intelligo, quamvis receptum ab Hermanno; at loco tamen moveri non potuerunt illa, quae Ulixes a Neoptolemo exquiri volebat, sensusque haud dubie est *utrum ista hoc loco sint an alio.* Mihi idem quod Nauckio in mentem venit *τοῦτον*, quod nemo nescit quam saepe in *τόνδε* corruptum sit; atque hoc etiam dicendi usus flagitat. Certe multo frequentius est *αὐτὸς οὗτος* quam *αὐτὸς ὅδε*, nisi ubi *ὅδε* adverbiascit ut Oedipo R. 531. Trach. 58. Sic igitur versus illos scribendos puto:

ἅ μοι προσελθὼν σῖγα σημαίνειν σε δεῖ,
χῶρον πρὸς αὐτὸν τοῦτον εἴτ' ἄλλῃ κυρεῖ.

Vs. 32.

οὐδ' οἰκοποιός ἔνδον ἐστί τις τροφή;

Nimis morigeros Welckero se praebuerunt Dindorfius et Schneidewinus *τρυφή* pro *τροφή* emendanti idque ironice dictum statuenti, quocum comparant *τεχνήματα* v. 36. de poculo et *θησαύρισμα* v. 36. de igniariis Philoctetae. Ironiae ex meo sensu nullus hic locus est. Usus nominum *τροφή* et *τρέφεσθαι* latissime patet comprehenditque non victum tantum vel educationis curam, sed omnium rerum ministerium quibus vita sustentatur. Diffi-

cile est in aliis linguis nomen reperire, quod plene graeco respondeat; plerumque reddideris nostro *Pflege, pflegen*; atque ita intelligendus Sophocles Oed. R. 1380. *κάλλιστ᾽ ἀνὴρ εἷς ἔν γε ταῖς Θήβαις τραφείς*, ubi fuit qui *στραφείς* coniectaret; verte *qui in summo splendore Thebis vixi* vel *habitus sum*, recteque scholiasta interpretatur per *διατρίψας*. Optime editae scripturae sinceritatem adstruit ipse Sophocles Oedipo Col. 760. ubi Thebanorum civitas appellatur antiqua Oedipi *τροφός*, i. e. quae Oedipum olim sinu fovit. Nostro loco de domesticae vitae commoditatibus dictum est et concretam significationem recepit, quemadmodum non inepte germanice dicas *gewahrst du nichts von häuslicher Pflege in der Grotte?* de rebus quibus *τροφή* efficitur. Concrete item Phil. 1125. *τὰν μελέου τροφάν*, de instrumento quo victus paratur. Quid quod de loco adeo, in quo quis versatur, *τροφή* legitur Oed. Col. 362. *ζητοῦσα τὴν σὴν ποῦ κατοικοίης τροφήν*.

Vs. 180.

οὗτος πρωτογόνων ἴσως
οἴκων οὐδενὸς ὕστερος.

Haec ita explicant: *nulli secundus ex nobilibus familiis*, in quo non credo acquiesci posse. Elegans et digna Sophocle evadet oratio, si pro *οἴκων* scripseris *οἰκῶν*. V. ad Oedipum R. 586. Nauckius edidit *πρωτογόνων γεγὼς οἴκων*, qui cur *ἴσως* reiciat idoneam causam non video. Sequuntur paucis versibus interiectis haec:

κεῖται μοῦνος ἀπ᾽ ἄλλων
στικτῶν ἢ λασίων μέτα
θηρῶν, ἔν τ᾽ ὀδύναις ὁμοῦ —

in quibus si *μοῦνος ἀπ᾽ ἀνδρῶν* scriptum esset, ecquis est adeo

elegantiae expers, quin id editae scripturae longe praeferendum diceret? In secundo versu pro *μέτα*, quod certissime corruptum est, scribendum suspicor *μέσῳ*, quod homerico usu dictum est. Il. ή 277. *μέσσῳ δ' ἀμφοτέρων* et Odyss. ϑ' 66. *μέσσῳ δαιτυμόνων*. Lehrsio in Fleckeiseni Annal. philolog. 1862. p. 311. placebat *πέλας*. Ceterum vide ad Oedipum Col. 132.

Vs. 228.

ἀλλ' οἰκτίσαντες ἄνδρα δύστηνον, μόνον,
ἔρημον ὧδε κἄφιλον καλούμενον
φωνήσατ', εἴπερ ὡς φίλοι προσήκετε.

Neque *κακούμενον* scribendum est, quod Brunckius proposuit, neque *καλούμενον* ita interpretari licet ut vel ab Hermanno vel a Schneidewino factum est. Nec tamen altius vitium latet, sed simplicissima mutatione scribendum *καλούμενοι, implorati.*

Vs. 276.

σὺ δή, τέκνον, ποίαν μ' ἀνάστασιν δοκεῖς
αὐτῶν βεβώτων ἐξ ὕπνου στῆναι τότε;

Si quem rhetoricae compositionis sensum habeo, *σὺ δή* poeta in initio enunciationis ponere non debuit, ut suspicer fere transpositione verborum facta scribendum esse:

ποίαν σὺ δή, τέκνον, μ' ἀνάστασιν δοκεῖς —

sive malis:

ποίαν, τέκνον, σὺ δή μ' ἀνάστασιν δοκεῖς —

Ad *ἀνάστασιν* scholiasta haec annotavit: *νῦν τὴν ἐξ ὕπνου ἔγερσιν.* Quae indicio esse videntur eum alterum versum in suo libro ita scriptum legisse: *αὐτῶν βεβώτων ἐξαναστῆναι τότε.*

Vs. 319.

ἐγὼ δὲ καὐτὸς τοῖσδε μάρτυς ὢν λόγοις

ὥς εἰσ᾽ ἀληθεῖς οἶδα, συντυχὼν κακῶν
ἀνδρῶν.

Genetivus frustra defenditur Oedipo Col. 483. *ἐναισίου δὲ συντύχοιμι*, ubi verissime Cobetus N. L. p. 200. *ἐναισίου δὲ σοῦ τύχοιμι* correxit, quem vellem etiam de nostro loco sententiam dixisset, in quo vereor ne *συν* interpolatoris sit, evanidam in codice syllabam stulte supplentis. Sophoclem scripsisse opinor *προστυχών*. Cf. Electr. 1455. *ἐμοῦ κολαστοῦ προστυχὼν φύσεις φρένας*. Philoct. 552. *προστυχόντι τῶν ἴσων*. Minus enim placet quod quis forte coniciat, *ὥς εἰσ᾽ ἀληθεῖς οἶδά σοι, τυχὼν κακῶν ἀνδρῶν.*

Vs. 349.

μάλιστα μὲν δὴ τοῦ θανόντος ἱμέρῳ,
ὅπως ἴδοιμ᾽ ἄθαπτον· οὐ γὰρ εἰδόμην.

Ad *εἰδόμην* intelligunt *ζῶντα*, quod quo iure vel in graeco vel in alio sermone fieri possit non assequor; nec priora bene dicta sunt, ubi quis recte cogitare gnarus non dixisset *ὅπως ἴδοιμι γοῦν ἄθαπτον*? His adde difficultatem in temporum computatione, quam monstravit quidem, at excusavit Hermannus. Haec omnia coniuncta ita comparata sunt, ut versum a sciolo confictum esse ostendere videantur. Fortasse vero *ἄθαπτον* ex interpretatione accessit, Sophocles autem totum versum ita scripsit:

ὅπως ἴδοιμι· ζῶν γὰρ οὔ νιν εἰδόμην.

Vs. 421.

τί δ᾽ ὁ παλαιὸς κἀγαθὸς φίλος τ᾽ ἐμὸς
Νέστωρ ὁ Πύλιος ἔστιν; οὗτος γάρ τάγε —

Alii aliter haec emendare conati sunt; Dindorfio totus adeo versus gravissime interpolatus videtur, qui mea sententia non incommode ita restitui potest: *τί δ᾽; οὐ παλαιὸς — ἔστιν; quid vero? an non grandaevus Nestor vivit?*

Vs. 491.

κἀκεῖθεν οὔ μοι μακρὸς εἰς πάτραν στόλος
Τραχινίαν τε δειράδα καὶ τὸν εὔροον
Σπερχειὸν ἔσται, πατρί μ' ὡς δείξῃς φίλῳ.

Quod auctore Toupio receptum est *δεράδα*, incertissimae fidei forma est; nec reliquorum emendationes probari possunt. Desidero epitheton quod, ut *εὔροος* Sperchei fluminis citato cursu (a *σπέρχεσθαι*) fluentis, ita Trachiniae, asperrimae regionis, naturam indicet. Forsan igitur *ΛΙΘΑΔΑ* pro *ΔΕΙΡΑΔΑ* scribendum est, i. e. lapidosam, mutatione satis facili, siquidem *Λ* et *Δ* et *ΕΙ* et *Ι* solenniter inter se permutantur. Trachis *πολύλλιθος* dicitur Dionysio Anth. Pal. VI. 3. *lapidosa* Senecae Troad. 821. Recte autem opinor *λιθάς* adiectivum esse dixi, de quo genere vide copias Lobeckii Proleg. Pathol. p. 442. quamquam non impedio quo minus hic etiam pro substantivo et *Τραχινία* pro gentili habeatur. Atque ut apud Aeschylum *λιθάς* de imbre lapidum dicitur, ita nostro loco quin de regione lapidosa intelligi possit, non dubitandum est. Nisi quis forte *ΛΙΧΑΔΑ* scribere praeferat, cll. glossa Hesychii *Λιχάς· (πέτρα) ἀπότομος*, de qua dixi ad Oedipum Col. 1059. *Δ* et *Λ* inter se permutari res est notissima, quam ineptus essem si exemplis confirmare vellem. Utar tamen hac opportunitate, ut meam de Simonidis quodam epigrammate sententiam dicam, de cuius interpretatione optime nuper meruit Fredericus Haltschius in libello de Demareteo argenteo Dresdae 1862. edito. Simonideum carmen (si modo Simonidis est) legitur Anthol. Pal. VI. 214.

Φαμὶ Γέλων' Ἱέρωνα Πολύζαλον Θρασύβουλον
παῖδας Δεινομένευς τὸν τρίποδ' ἀνθέμεναι,
ἐξ ἑκατὸν λιτρᾶν καὶ πεντήκοντα ταλάντων,

Δαμαρετίου χρυσοῦ, τᾶς δεκάτας δεκάταν,
βάρβαρα νικάσαντας ἔθνη, πολλὰν δὲ παρασχεῖν
σύμμαχον Ἑλλάνων χεῖρ᾽ ἐς ἐλευθερίαν.

Versu quarto cod. habet *Δαρετίου*, quod cum nihil esse vidisset Bentleius, memor eorum quae Diodorus aliique de Damareteo auro, a Damareta Gelonis uxore nominato, memoriae prodiderunt, egregie ad sensum *Δαμαρετίου* restituit; ad sensum inquam, non item ad metricas rationes, quae illa emendatione funditus evertuntur. Quod enim Bentleius credebat, multique etiam nunc credunt, in *Δαμαρέτιος* similibusque vocalem ῐ cum sequente per synizesin coalescere, erronea est opinio nulloque in tota Graecorum poesi exemplo confirmanda. Ne *Ὀλυμπίου* quidem Euripides Herc. Fur. 1304. tribus syllabis extulit. Quae praeterea afferuntur, *Ἱστίαια* et huic similia longe aliam legem sequuntur. Sed salva res est: scribendum enim in Simonidis carmine unius literae mutatione *Λαρετίου*. Nomen feminae fuit *Δαμαρέτα*, a quo quum nihil ad sensum differat *Λαρέτα*, ut *Λάνασσα* idem est nomen quod *Δαμώνασσα*, *Δημόκριτος* quod *Λεώκριτος*, *Λακράτης* quod *Δημοκράτης*, Simonides, a *Δαμαρέτα* formatum adiectivum, *Δαμαρέτειος* sive dorice *Δαμαρέτιος*, versui inhabile esse videns, suo iure usus Laretam appellavit quae in communi sermone dicebatur Damareta. Simile quid Sophoclem fecisse auctor est Hephaestio I. p. 9. *τὸ τοῦ Ἀρχελάου ὄνομα Σοφοκλῆς οὐκ ᾤετο ἐγχωρεῖν οὔτε εἰς ἔπος οὔτε εἰς ἐλεγείαν· φησὶ γοῦν Ἀρχέλεως· ἦν γὰρ σύμμετρον ὧδε λέγειν.*

Vs. 566.

ἦ ταῦτα δὴ Φοῖνιξ τε χοἰ συνναυβάται
οὕτω καθ᾽ ὁρμὴν δρῶσιν Ἀτρειδῶν δίχα;

Nauckio redundare videtur καθ᾽ ὁρμήν, cui καθ᾽ ἡμῶν substituendum censet; at sic abundat οὕτω, quod multo maiorem offensionem haberet. nec abundat ad sententiam καθ᾽ ὁρμήν, quod cum οὕτω coniungendum est significatque οὕτως ἐσπουδασμένως.

Vs. 642.

οὐκ· ἀλλὰ κἀκείνοισι ταῦτ᾽ ἐναντία.

Non recte haec responderi ad ea quae Philoctetes dixerat, ἀεὶ καλὸς πλοῦς ἔσθ᾽ ὅταν φεύγῃς κακά, intellexit praeter alios Doederlinius, non male pro οὐκ reponens οἶδ᾽, a Dindorfio receptum. Nauckius ἀλλ᾽ οὐχὶ — ἐναντία; coniecit. Utrique ut lenius praeferam:

οὐκ ἆρα κἀκείνοισι ταῦτ᾽ ἐναντία;

Vs. 649.

φύλλον τί μοι πάρεστιν, ᾧ μάλιστ᾽ ἀεί
κοιμῶ τόδ᾽ ἕλκος, ὥστε πραΰνειν πάνυ.

Vocula πάνυ semel tantum legitur apud Sophoclem Oedipo Col. 142. in carmine chorico, ut dubitare liceat an ea in dialogo uti voluerit; neque ad sensum huius loci apta est, *ut vehementer vulnus sopiam*. Sophocles scripserat sine dubio ὥστε πραΰνειν ταχύ. Video haesisse etiam Hermannum, ex apogr. R. πόνον recipientem, quae haud mala est emendatoris cuiuspiam interpolatio, et Nauckium πάλιν conicientem.

Vs. 691.

ἵν᾽ αὐτὸς ἦν πρόσουρος, οὐκ ἔχων βάσιν,
οὐδέ τιν᾽ ἐγχώρων κακογείτονα.

Nauckius dubitat de lectionis integritate, verissime admonens, si haec sit verborum sententia, *ubi ipse sibi vicinus erat*, necessario addendum fuisse ἑαυτῷ, id quod nescio quo iure negabat Her-

mannus. Scribendum videtur ἵν' αὐτός οἱ πρόσουρος. Alias quidem οἱ Sophocles cum hiatu dicit Trachin. 650. Electr. 195. at οὗ apud eundem Oed. Tyr. 1257. sine hiatu habes κίχοι διπλῆν ἄρουραν οὗ τε καὶ τέκνων, et ipsum illud οἷ apud Lynceum Athenaei IV p. 132. a. Praeterea pro ἐγχώρων reponendum suspicor ἔγχωρον. Philoctetes de Lemno semper loquitur ut de insula deserta nulliusque pede trita.

Vs. 719.

νῦν δ' ἀνδρῶν ἀγαθῶν παιδὸς ὑπαντήσας
εὐδαίμων ἀνύσει καὶ μέγας ἐκ τούτων.

Verbi ὑπαντᾶν cum genetivo coniuncti nullam praeter hoc exemplum extat: neque assequor quo pacto haec structura defendi possit; itaque vereor ne locus vitium traxerit. Suspicabar aliquando scribendum esse παιδὸς ὄπ' ἀντήσας, secundum Homericum illud ὅπως ἤντησας ὀπωπῆς. Aliis forsan probabilius videbitur Sophoclem scripsisse:

νῦν δ' ἀνδρῶν ἀγαθῶν παιδὶ συναντήσας.

Vs. 791.

ὦ ξένε Κεφαλλήν, εἴθε σου διαμπερὲς
στέρνων ἔχοιτ' ἄλγησις ἥδε. φεῦ παπαῖ —

Male Wakefieldus pro ἔχοιτο coniecit ἵκοιτο. Mihi non dubitari posse videtur quin scripserit poeta διαμπερὲς στέρνων χέοιτ' ἄλγησις, *per viscera fundatur*, eadem adverbii διαμπερές structura, qua Homerus usus est οὐτάζοντα διαμπερὲς ἀσπίδος αὐτῆς. χεῖσθαι de morbo dixit Sophocles etiam Trach. 850. κέχυται νόσος.

Vs. 800.

ὦ τέκνον ὦ γενναῖον, ἀλλὰ συλλαβὼν

τῷ Λημνίῳ τῷδ' ἀνακαλουμένῳ πυρί
ἔμπρησον, ὦ γενναῖε.

Vitiatum esse *ἀνακαλουμένῳ* consentiunt propemodum omnes; qui negant et *ἀνακαλούμενον πῦρ* de igne hominum sermonibus celebrato interpretantur, incredibilia comminiscuntur. Non adducor tamen ut *ἀνακυκλουμένῳ* a Toupio recte coniectum esse credam; nihil enim ad rem facit ignem per intervalla provolutum hic commemorari. Suspicor poetam scripsisse aut *ἀνακαλούμενος*, *imploratus*, aut quod ad eandem sententiam redit *ἀνακαλούμενον*, qui te ultro ut crudelem hanc mihi gratiam praestare velis imploro. Ceterum rectius scripseris *ἀγκαλούμενος*, quod ubique restituendum ubi metrum admittit, ut Electr. 683. Trach. 906. In Philoct. 927. *ἀγκλάω* an *ἀνακλάω* verum sit, nondum mihi constat. At in Electr. 705. recte legi puto *ἀναμεμιγμένοι*, ipsa sententia rapidiores numeros commendante.

Vs. 815.

τί παραφρονεῖς αὖ; τί τὸν ἄνω λεύσσεις κύκλον;

Subabsurdum est interrogare Neoptolemum *quid rursum insanis?* Scribendum suspicor *ἦ παραφρονεῖς αὖ;*

Vs. 872.

οὐκ οὖν Ἀτρεῖδαι τοῦτ' ἔτλησαν εὐπόρως
οὕτως ἐνεγκεῖν ἀγαθοὶ στρατηλάται.

Pro *εὐπόρως* neque *εὐλόφως*, neque *εὐφόρως*, neque *εὐπόνως*, neque quod ego olim conieci *εὐχερῶς*, scribendum est. Ex his ceteris praestaret *εὐφόρως*, cuius dictionis plurima sane exempla collegit Lobeckius Paral. p. 533. sed e scriptoribus petita, quorum oratio a poetica dicendi ratione multum abhorret. Eam qui recte cognitam habet, non dubitabit *εὐπετῶς* mecum reponere. Cf. Sophocles apud Stobaeum Flor. 108, 58. *χρεὼν τὰ*

θνητὰ θνητοὺς ὄντας εὐπετῶς φέρειν. Aeschylus Prom. 752. *ἦ δυσπετῶς ἂν τοὺς ἐμοὺς ἄθλους φέροις.* Vides autem quantillum inter *ΕΥΠΕΤΩC* et *ΕΥΠΟΡΩC* intersit.

Vs. 880.

ἵν' ἡνίκ' ἂν κόπος μ' ἀπαλλάξῃ ποτέ,
ὁρμώμεθ' ἐς ναῦν μηδ' ἐπίσχωμεν τὸ πλεῖν.

Priorum verborum non potest alius quam hic sensus esse: *ubi tandem aliquando morbus cessaverit*, quo indicaret Philoctetes, post longum demum tempus dolorem cessaturum esse; id vero minime e re loquentis esset. Quare scripserim:

ἵν' ἡνίκ' ἂν κόπος μ' ἀπαλλάξῃ, τότε —

ut simulatque me morbus reliquerit, statim navigemus. Cf. Aiac. 791. *ἡνίκ' ὀτρύνουσά νιν ηὔδᾶτο — τότ' ἀντιφωνεῖ δεινὸν ἄρρητόν τ' ἔπος.* Oedip. Col. 774. *ἡνίκ' ἤδη μεστὸς ἦ θυμούμενος, τότ' ἐξεώθεις.* Quibus locis pone *ποτέ*, et evertes sententiam. At Electr. 1038. fortasse aptius est *ὅταν γὰρ εὖ φρονῇς ποθ', ἡγήσει σὺ νῷν.*

Vs. 1104.

ὃς μόχθῳ λωβατός, ὃς ἤ-
δη μετ' οὐδενὸς ὕστερον
ἀνδρῶν εἰσοπίσω —

Hic unus de paucis in Sophocle locus est, in quibus in medio systemate glyconico brevis syllaba finalis est. V. ad Oedipum Col. 132. Scribendum vero *φωτῶν*, cuius vocis glossema est *ἀνδρῶν*. Hesychius *Φωτῶν· ἀνδρῶν.* Quod Hermannus dedit *μετ' οὐδενὸς ὑστερῶν*, nemini probabit.

Vs. 1299.

ἆ μηδαμῶς, μὴ πρὸς θεῶν μεθῇς βέλος.

In duobus qui sequuntur versibus alio sensu dicitur *μεθιέναι*,

nec sine offensione est intra tam breve spatium idem verbum diversas habere significationes, unde oboritur suspicio scripsisse poetam μὴ πρὸς θεῶν μὴ 'φῇς βέλος, i. e. μὴ ἀφῇς, vel μαφῇς. Cfr. Electr. 1208. μὴ πρὸς γενείου μὴ 'ξέλῃ τὰ φίλτατα. Similiter, ut nunc video, Nauckius μὴ πρὸς θεῶν ἀφῇς βέλος.

Vs. 1308.

εἶεν· τὰ μὲν δὴ τόξ' ἔχεις.

Laur. δὴ omittit, quare malim τὰ μέν τοι τόξ' ἔχεις, quod et ad mutationem expeditius (facillime enim τοι ante τόξα excidere potuit) et ad sensum etiam aptius quam δή: *sint ista sane, at arcum tamen habes.*

Vs. 1360.

οἷς γὰρ ἡ γνώμη κακῶν
μήτηρ γένηται, τἄλλα παιδεύει κακούς.

Recte κακούς pro κακά ex Dobraei emendatione posuerunt editores novissimi, at τἄλλα quo pacto salva graecitate explicandum sit, neque ipsi dixerunt neque ego reperio. Hoc opinor dici debuit: qui animi vitio mali sunt, eos nusquam non se malos praestare. Quare aut πάντα pro τἄλλα scribendum suspicor, aut locum ita refingendum esse:

οἷς γὰρ ἡ γνώμη κακῶν
μήτηρ πέλῃ, καὶ τἄλλα παιδεύει κακούς.

Animi vitio malos opponit poeta iis, quos opportunitas vel occasio a recta via abducit, ut ipsum Neoptolemum.

Vs. 1395.

ὡς ῥᾷστ' ἐμοὶ μὲν τῶν λόγων λῆξαι, σὲ δὲ
ζῆν ὥσπερ ἤδη ζῇς ἄνευ σωτηρίας.

Non recte procedere structuram verborum iam alii intellexerunt;

nihil tamen allatum vidi, quod probari possit. Quid scripserit poeta ostendit opinor Laur. in quo quum *ἐμοί*, non *ἐμοὶ μέν* scriptnm sit, corrigendum suspicor *ἐμοί γε* hoc sensu: quid tanden faciendum nobis est, quum nihil eorum, quae dixi, tibi persuadere possimus? expeditissimum est me iudice ut ab his sermonibus abstineamus, tu autem vivas ut adhuc vixisti, omni salutis spe destitutus. *ἐμοί γε*, *me iudice*, recte dici non eget exemplis.

Vs. 1464.

χαῖρ', ὦ Λήμνου πέδον ἀμφίαλον,
καί μ' εὐπλοίᾳ πέμψον ἀμέμπτως.

Ad *πέμψον* Dübnerus annotavit in Laur. *ψ* ex *π* factum esse: primitus igitur *πέμπον* scriptum erat, unde conicias:

καί μ' εὔπλοια πέμποι ἀμέμπτως.

Non raro loca, quae quis relinquit, hunc *πέμπειν* dicuntur: sed huius tamen loci paulo diversa est ratio; felici enim cursu ut Philoctetes uteretur, non positum erat in potestate Lemni insulae. *εὐπλοία* ultima longa pro *εὔπλοια* dixit poeta ut *ἀγνοία*, *ἀνοία* et alia eiusdem generis plura, de quibus recte contra Cobetum disseruit Nauckius Euripid. Studien vol. II p. 111. quamquam hoc quidem loco non impedio si quis *εὐπλοΐα* scribere maluerit. *Εὔπλοια* autem forsan de Venere marina intelligendum est. Cf. Pausanias I, 1, 3. Nosti Horatianum illud *Sic te diva potens Cypri ventorumque regat pater, o navis.*

INDICES

I. Index scriptorum.

II. Index rerum et verborum.

CORRIGENDA

P. 27. vs. 262. ἔχειν; pro ἔχειν — P. 30. vs. 304. ἀίων pro ἀΐων — P. 48. vs. 512. πυθέσθαι pro πυθέσθαι. — P. 76. vs. 874 et 875. dele commata post βίᾳ et εἰμί — P. 87 in scholio ad vs. 1048. βωμόν pro βωμῶν — P. 115. in scholio ad vs. 1519. τῇδε pro τῇ δέ — P. 135, 13. στεφάνας pro στεφανάς. — P. 262, 9. a f. post πολυσπέρχον excidit ‚sive potius πολυσπερχοῦς'. — P. 267, 9. ‚appellabar' pro ‚appellebar'.

Typis Caroli Schultzii Berolinensis.